

2 an).

INSTRUCTIO  
ET  
MANUDUCTIO  
AD  
THEOLOGIAM  
MYSTICAM  
SEU  
CONTEMPLATIONEM,

ET

DILECTIONEM DEI

*Per vias planas, rectas & tutas,*

OMNI CHRISTIANO,

*Qui vult piè & perfectè vivere,  
utilis & accommodata,*

*Studio & Labore*

CASPARI ER HARD Presby-  
teri Benedictini ad S. Emme-  
ramum Ratisbonæ.

*Cum Licentia Superiorum.*

---

AUGUSTÆ VINDELICORUM

*Sumptibus Joannis Strötter Bibliopola.*

M.D.CC.XXVII.

DEDICAT

MINI ET  
ET  
ILIO  
INCARNA

li conflecto  
li modo u  
li Fili DE  
li gloriae in  
lac Theolo  
li vero aud

13

# *DEDICATIO*



DEO UNI ET TRINO,  
ET  
FILIO DEI  
INCARNATO.

Tibi consecro DEUS ineffabilis modo unus & trine ,  
& Fili DEI ejusdem substantiae & gloriae in carne subsistens , hanc Theologiam mysticam. Non vero audaciæ mihi de-

## DEDICATIO

putetur , quòd ego abyssus vanitatis, ignorantiae , & nihil Deo abysso veritatis, sapientiae , bonitatis & rerum omnium, præsumam hunc imperfectissimum & minimum libellum offerre , cùm authores nec humano Principi vel Regi audeant opus aliquod dedicare nisi oratâ priùs & exoratâ licentiâ . Nam licet Deus sit supermaximus ( ut mysticorum phrasis habet ) tamen una est superoptimus , & licet sit infinitæ gravitatis & majestatis , tamen simul est infinitæ benevolentiae & humanitatis , ut etiam levissima servorum suorum dona & munera non despiciat . Quare ô Deus , ô Fili Dei , ô Spiritus Dei , ô Trinitas unus Deus , de immensa tua clementia præfidens ad thronum infinitæ



FACULTAS  
Reverendissimi & Amplissimi  
DD. S. R. I. ABBATIS

Ad S. Emmeratum Ratisbonæ.

**L**ibellus hic , quod in Titulo  
præfert , in corpore docet.  
Nam ex principiis Fidei , & Doctri-  
na Ecclesiæ doctè & devotè *instruit*  
& *manuducit* ad contemplationem  
& perfectionem Christianam.  
Ideoque ut pro Honore DEI &  
animatorum profectu lucem videat,  
hisce permitto. Ratisbonæ in ex-  
empto & Imperiali Ord. S. Bene-  
dicti Monasterio ad S. Emmera-  
mum 6. April. Anno 1727.

(L.S.) ANSELMUS

S. R. I. Abbas.

APPRO-

# APPROBATIO

Congregationis Benedictino-Bavaricæ

*sub titulo*

## SS. Angelorum Custodum.

EX Commissione Speciali Reverendissimi & Amplissimi Praesulis Domini, Domini ILDEPHONSI Almæ Congregationis nostræ Praesidis Generalis & Abbatis Weichenstephanensis perlegi *Instructionem & Manuductionem ad Theologiam Mysticam* eruditè, piè, & doctrinaliter adornatam per Adm Reverendum Patrem Casparum Erhard, Imperialis & Exempti Monasterii ad S. Emmeramum Ratisbonæ Benedictinum, & p. t. Priorrem Venerabilem. In hac nil inveni, quod aut Principiis fidei orthodoxæ, aut bonis moribus contrarium, sed potius omnia dilucide deducta, solidè probata, suavi methodo digesta, scitu jucunda, & omni statui apprimè necessaria. Opus profectò omnium oculis & luce publica dignissimum! Manuducit etenim per vias planas & tutas ad generosum mundi contemptum, sanctum omnis peccati horrorem, & celestium ac divinorum contemplationem dulcissimam. Ita censeo, & Authori amicè gratulor Weichenstephanii in Tyrocinio præfatae Congregationis ad Annum 1727.  
1. Aprilis.

P. VERE MUNDUS Eisvogl,  
Exempt. Monast. Wessofont. Ord. S. Ben.  
Profess Com. Novit. in Congr. Angel.  
Magister Actualis.

ELEN.

# ELENCHUS.

## DISSERTATIO I.

*De natura & dotibus Theologia mystica.*

- Art. I. Quid & quotuplex sit?
- II. In quo consistat Theologia mystica?
- III. De dignitate & utilitate.
- IV. De jucunditate.
- V. Excusationes negligentium studium Theologiae mysticæ.
- VI. De subiecto Theologiae mysticæ.

## DISSERTATIO II.

*De præparatione & mediis ad consecutionem theologiae mysticæ.*

- Art. I. De necessitate præparationis.
- II. De via purgationis & illuminationis.
- III. Media pro consecutione Theologiae mysticæ.
- IV. De Principiis & præparatione proxima.

## DISSERTATIO III.

*De Actu Theologiae mysticæ, nempe contemplatione.*

- Art. I. Quid & quotuplex sit?
- II. Alia divisio.
- III. Aliæ divisiones.
- IV. Varia nomina contemplationis.
- V. De causa contemplationis, præprimis tactu mystico.

- VI. Processus & paradigma contemplationis.  
VII. Ulterius declaratur processus contemplationis.  
VIII. Breves affectus mystici.  
IX. Affectus mystici longiores.  
X. Documenta huc pertinentia,  
XI. Singularis instructio de contemplatione insipida.

#### DISSERTATIO IV.

*De Proprietatibus & fructibus contemplationis.*

- Art. I. Quid contemplatio in mente operetur?  
II. Quid in memoria.  
III. Quid in voluntate?  
IV. Quid in aliis viribus & ipso corpore?  
V. Proferuntur causæ neglectus contemplationis.  
VI. De effectibus contemplationis verè mysticæ.

#### DISSERTATIO V.

*De Theologia mystica erronea.*

- Art. I. De Hæresibus Beguardorum, Illuminatōrum, & maximē Quietistarum.  
II. Confutantur ulterius propositiones Quietistarum.  
III. Continuatio.  
IV. Continuatio.  
V. Cautiones.  
VI. Reflexio & usus doctrinæ traditæ;

DISSE



# DISSERTATIO I.

DE

Natura & dotibus Theologie  
mysticae

## ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit Theo-  
logia mystica?

I.

**T**HEOLOGIA secundum nominis etymologiam denotat sermone-  
nem de Deo, *mystica* vero idem *mystica*  
sonat, quod occulta, secreta,  
abscondita. Quare Theolo-  
gia *mystica* non est qualiscunque Theo-  
logia, seu notitia, sermo & scientia de  
Deo, rebusque divinis, sed alta, subli-  
mis, occulta, recondita, & mysteriis  
plena.

2. Definitur ergo notitia Dei ac Divi-  
norum celsissima affectuosa sed adhuc obscura. *Definitio*,  
Per primas voces convenient cū Theologia

A natu-

**2 Diss. I. De Natura Theologia mystica**

naturali, seu metaphysica, quæ discurrit ex principiis lumine naturæ notis, cum *scholastica*, quæ de Deo rebusque divinis arguit ex principiis revelatis, cum *Theologia positiva*, quæ ex Canonice scripturis perfectiones divinas colligit ac deducit &c. quia omnes istæ Theologiæ respiciunt & considerant Deum ac Divina, & consequenter verè sunt notitiae Dei ac Divinorum. Per tò *celfissima* verò jam differt ab omnibus Theologiis hujus viæ & præsentis statūs. Nam hæc mystica Theologia dignitate, præstantiâ, celsitudine, ac eminentiâ suâ longissimè transcendit omnes alias Theologias Viatorum. Velut sol eminet inter planetas, sic hæc inter Theologias. Additur etiam affectuosa; quia non est notitia sterilis, infruictuosa pure speculatrix & in mente consistens, sed fœcunda, actuosa, affectuosa, gustus plena, & ad voluntatem se exporrigit. Non solum lucet, sed etiam ardet, lucet in mente, ardet in voluntate, seu est *lux ardens*; quia sua luce voluntatem facit in amore suaviter & fortiter exardescere. Demum additur *obscura*, ut distinguiatur à lumine gloriæ seu visione & Theologia beata. Nam licet sit clara & lucida comparata ad reliquias Theologias viatorum; tamen est obscura & tenebrosa collata

ad

ad scientiam matutinam, ut loquuntur scholæ, seu ad Theologiam comprehensorum. Theologi enim mystici & contemplatores non vident Deum facie ad faciem, sed adhuc in caligine & ænigmate fidei verfantur. Unde in Con-

Clem. de  
Hæreticis  
cap. 3.

cilio Viennensi sub Clemente V. con-

demnati sunt Beguardi & Beguinæ, qui docuerunt, contemplatores ad Deum, ut est in se, videndum elevari. Equidem cognitio Theologiæ mysticæ proximè accedit ad visionem beatam, non tamen ejus perfectionem adæquat: est major & præstantior omni alia cognitione, sed tamen minor & inferior cognitione beata: est suo modo & sensu clara, lucida, illustris, sed tamen ad claritatem & lucem visionis beatificæ non perrigit.

3. Quare extraordinarium proflus est, si quis tantum in contemplatione attolleretur (quod de S. Paulo ferè docent SS. Patres) ut Deus ipse sine velo, sine ænigmate, sine forma imaginaria & phantasmate, sed facie ad faciem se videntem & aspiciendum præberet.

4. Dividitur in modò Theologia mystica in actualēm & habitualem. Illa est actus doni sapientiæ, ista habitus, illa præstat, ut possimus Deum modo altissimo contemplari, ista vero est ipsissima, altissima, sapidissima, sed tamen ad-

4 Diff. I. De Natura Theologia mystica.

huc obscura , DEI contemplatio.

5. Dividitur 2dō. in vulgarem & verē mysticam , seu extraordinariam . Vulgaris procedit duntaxat ab habitu fidei , & lumine sapientiæ ordinario , & conceditur hominibus etiam imperfectionis , & in via purgationis & illuminationis constitutis . Nam etiam isti Deum ac Diuina lumine fidei & sapientiæ contemplantur . Hæc Theologia mystica in sanctis Patribus & Doctoribus non venit tali nomine ; nec habet singulares & stupendos effectus , qui ei alias in libris passim tribuuntur . Verē mystica est , quæ procedit ab habitu fidei ut illuminato extraordinariè per donum sapientiæ . Et hæc mystica Theologia communiter , & secundūm ordinariam Dei providentiam non præbetur , nisi hominibus à vitiis & passionibus fere exemptis , virtutibus illuminatis , proventis in gratia & perfectione ; & habet singulares illos effectus , quos Mystici com memorant .

Objectum  
primari  
um,

6. Primarium Theologiæ mysticæ objectum est Deus , ut sumnum Bonum & Superbonum in seipso . Ratio est : quia objectum primarium habitus est , quod hic per se primò respicit & aspicit ; at verò Theologia mystica per se primò Deum ipsum aspicit & sua contemplatione attingit . Quidquid enim Deo

infe-

Art. I. Quid & quotuplex sit? 5

inferius est, etiam inferius est, quām ut circa illud altissima sapientia, nempe mystica Theologia, versetur.

7. At verò non quomodo cunque attingit Deum nostra hæc Theologia, sed ut est *summum & infinitum Bonum in seipso*. Ratio est: quia secum trahit & infert actum charitatis: ubi enim contemplatio, ibi vigeret charitas, ardet voluntas. Nam contemplatio tam dulciter & efficaciter divinam excellentiam & bonitatem voluntati repræsentat, ut erga illam debeat quasi exardescere. Sicut ergo charitas respicit Deum ut infinitum bonum *absolutum & in seipso per inclinationem*; sic Theologia mystica hoc idem aspiciet objectum per cognitionem, directionem ac determinationem. Nam hujus est voluntari prælucere, eam dirigere ac determinare ad amorem sumimi & ineffabilis Boni in seipso, & propter ipsum.

8. Objecta secundaria Theologiæ Et Objecta mysticæ sunt aliæ res divinæ spirituales secundæ ac cœlestes, quas Theologi mystici considerant. Nam fides, spes, charitas & omnes virtutes morales, item dona Spiritus sancti, omnia mysteria fidei, & maximè vita & passio Christi intra latitudinem objecti hujus eminentissimæ sapientiæ continentur. Imò omnes crea-

6 Diff. I. De Natura Theologiae Mysticæ.

turæ à Theologo mystico secundariò attinguntur , & in ordine ad Deum summum Bonum considerantur & ordinantur. Unde S. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 4. principaliter ad vitam contemplativam seu Theologiam mysticam pertinet contemplatio divina veritatis : quia hujusmodi contemplatio est finis totius humanae vita &c. Sed quia per divinos effectus in contemplationem manuducimur , secundum illud ad Rom. 1. invisibilia Dei per ea , quæ facta sunt , intellecta conspiciuntur : inde est , quod etiam contemplatio Divinorum esse eluum secundariò ad vitam contemplativam perinet ; prout scilicet ex hoc manuducitur homo in Dei cognitionem.

9. Contemplator ergo attendit & considerat primariò Deum , ut infinitum Bonum & Superbonum est in seipso , cætera vero omnia per se primò non aspergit , nec dignatur cogitatione , nisi quantum juvent vel conducunt ad Dei notitiam & amorem. O pulchrum , o excellens , o delectabile objectum , Deus optimus maximus ! O felix homo , qui in tali objecto desigitur ! Nam hic talis agit in mundo & exilio , quod Beati faciunt in patria & in cœlo. Opus Cælitum est contemplari Deum , opus etiam contemplatoris præcipuum maximum est contemplari Deum , non quidem facie

Art. I. Quid & quotuplex sit? 7

facie, sed in ænigmate: consequenter  
Theologus mysticus in hac miserabili  
& labili vita jam aliqualiter inchoat  
beatam & æternam vitam. Multæ sunt  
contemplationes, inquit S. Anselmus ora-  
tione 19. quibus anima tibi devota mirabi-  
liter pascitur: sed in nulla earum ita re-  
quiescit & delectatur anima mea, sicut quan-  
do te solùm cogitat & contemplatur. Quàm  
magna multitudo dulcedinis tuæ Domine,  
quàm mirabiliter inspiras cordibus amato-  
rum tuorum! quàm mira suavitas amoris  
tui, quo persuuntur illi, qui nihil præter  
te diligunt, nihil querunt, nihil etiam co-  
gitare concupiscunt! felices illi, quibus tu  
solus spes es, & omne opus oratio. Beatus  
&c. qui adhuc in fragili corpusculo positus,  
pralibare valet aliquatenus dulcedinem tuam!

## ARTICULUS II.

### In quo consistat Theologia mystica?

1. **U**T hæc quæstio dilucidè pertra-  
ctetur, notandum est imò quod  
septem sint dona Spiritus sancti, nem-  
pe sapientia, intellectus, scientia, con-  
sillum, pietas, fortitudo, & timor Do-  
mini. Hic numerus patet ex Is. 11.  
v. 2. & agnoscitur communiter à san-  
ctis Patribus & Doctoribus & ex insti-

8 Diff. I. De Natura Theologiae Mystica  
ruto probatur à divo Thoma 1. 2. quæst.  
68. art. 4.

2. Notandum est 2dò. quod hæc  
dona sint excellentiora virtutibus, eas-  
que dignitate excedant; ut probat iti-  
dem S. Thomas ibidem art. 1. & 8.

3. Notandum est 3tiò. quod do-  
num, præcipuum inter septem, sit do-  
num Sapientiæ, ut idem Angelicus Ma-  
gister demonstrat art. 7. & ratio est:  
tum quia sapientia respicit præcipuum  
ac perfectissimum objectum, nempe  
Deum sub ratione summi Boni ama-  
bilis: tum quia elicit præstantissimum  
actum, nempe contemplationem, qui  
omnes actus mentis, qui pro statu viæ  
& à viatore elicuntur, pretio trans-  
cendit: tum quia adjungitur præcel-  
lentissimæ virtuti, nempe charitati, cu-  
prælucet & flamas inspirat.

Theologia  
mystica,  
Confitit,

4. His aliunde suppositis conclu-  
do: habitus Theologiae mysticæ con-  
fistit in ipso dono sapientiæ, seu est  
hoc ipsum donum. Ita fere Theologi  
mystici & scholastici cum suo Principe,  
Doctore Angelico, qui id 2. 2. q. 180.  
art. 1. 2. 3. 4. & 5. luculentè insinuat,  
& alibi frequenter supponit.

5. Ratio autem hæc est: nam in  
illa forma debet constitui Theologia  
mystica, quæ est omnium perfectissima  
& no-

& nobilissima, ut habet communis sanctorum Patrum & Doctorum sententia. Unde à quibusdam non simpliciter appellatur scientia & sapientia, sed cum addito *super scientia* & *super sapientia*, ut nempe isto modo loquendi significant, quod hæc nostra sapientia mystica omnibus aliis scientiis præcellat, & *superemineat*. Item lumen vocant Deificum ac Deiforme & propè Divinum, ut exinde commonstrent, quod lumen Theologiæ mysticæ omne aliud lumen cognitionem mentisque notitiam, quæ in viatore reperitur, longis parasangis excedat.

6. At verò sapientia est forma pro statu hujus viæ & vitæ excellentissima, quæ soli lumini gloriae cedit dignitate. *In dono* Quod quidem pater ex laudibus, quas *sapientia* ei tribuunt Divinæ paginae & maximè libri Proverbiorum, Sapientiæ, Ecclesiastis, & Ecclesiastici, insuper sancti Patres, & Theologi passim & ubique.

7. Licet hæc ratio primo aspectu videatur bona & sufficiens, tamen debet solutione contrario um argumentorum ulterius stabiliri. Opponunt ergo aliqui: charitas est in hoc statu forma perfectissima & sublimissima; si ergo Theologia in habitu celsissimo ponitur, debet non in sapientia sed charitate collocari.

10 Diss. I. De Natura Theologie mystica.

Non Cha-  
ritate.

8. Sed responsio ad hoc argumen-  
tum facilis est. Nam Theologia my-  
stica est forma altissima pertinens ad  
mentem. Licet ergo charitas excedat  
perfectione sapientiam , tamen in illa  
non recte ponitur Theologia mystica:  
& cur hoc ? quia nempe est habitus vo-  
luntatis & affectus , non mentis & in-  
tellectus : Theologia verò mystica in  
habitu perfectissimo mentis constituitur  
non voluntatis.

9. Cæterum licet charitas sit ab-  
solutè perfectior Theologiæ mysticæ  
tamen & hæc suo modo recte dicitur  
perfectior charitate: & hoc propterea;  
quia cum ista connectitur & intimè col-  
ligatur. Non enim est vera & genuina  
contemplatio & Theologia mystica sed  
fucata & adulterina , quæ à charitate non  
ducit originem , & in eandem non re-  
solvit ; ut docent passim mystici &  
scholastici cum suo Principe S. Thoma  
citata quæst. 180. art. 7. ad 1.

10. Instant verò , & difficilius ar-  
gumentum proponunt & opponunt. Sa-  
pientia nec est perfectissima forma men-  
tis ; quia fides est illâ perfectior. Quod  
quidem probant luculentè ex S. Tho-  
ma , qui 1. 2. quæst. 68. art. 8. & ali-  
bi expressè docet , quod virtutes Theo-  
logicæ ( qualis est fides ) perfectione ex-  
cedant

cedant dona , licet haec excedant virtutes morales. Quia nempe virtutes Theologicæ Deum proximè aspiciunt, mentemque humanam ei conjungunt; dona vero tantum faciunt, ut homo sit facile mobilis à Spiritu sancto , & facile se moveat ad Divina & Coelestia.

11. Ad hoc dubium respondetur ; *Nec fide.*  
negando , quod fides , secundum se & nude considerata , sit forma mentis pro hoc statu perfectissima. Nam cognitio fidei est obscura , sterilis , injucunda , difficilis , dura , expers flammæ & suavitatis , nisi dono sapientiae illustretur & inflammetur. Si autem haec suo lumine & numine accedat , tunc enim verò elicitur ac efficitur cognitio Dei rerumque divinarum clara , fertilis , amœna , jucunda , affectuosa , dulcis & suavis , lucens & ardens , illuminans & inflammans , menti lucem accendens , & voluntati ardorem inspirans.

12. Ad haec fides potest esse informis & sine charitate ; quia etiam in peccatoribus reperitur ; at vero Theologia mystica in actu primo est semper cum habitu charitatis , & in actu secundo cum actu charitatis , quia est cognitio non qualiscunque , sed dulcis & affectuosa.

13. Demum quando Theologia  
A 6 my-

## 12 Diff. I. De Natura Theologia mystica.

mystica ponitur in sapientia, fides non excluditur, sed includitur & supponitur. Non enim Theologia mystica est tam evidens & clara notitia, velut luminis gloriæ in patria, nec est tam obscura & tenebrosa, qualis est fidei nudè sumptæ: sed est media, procedens à fide cum illuminatione doni sapientiæ. Hujus ergo doni influxus & concursus præstat, ut actus fidei, à nobis viatoribus exercitus, sit clarior, perfectior, sublimior & eminentior, utque eliciatur cum quædam experientia & dulcedine voluntatis. Hinc non quælibet obscura fidei cognitio aut quælibet caliginosa Dei ac Divinorum meditatio recte dicitur notitia mystica seu contemplatio; sed illa duntaxat, quæ cum influxu doni sapientiæ, & consequenter cum aliqua mentalis claritate & voluntatis tum ardore tum sapore exercetur: ut quia donum sapientiæ facit, ut actus fidei sit clarus suo modo & quantum fert status hujus viæ ac vitæ, affectuosus, amensus, & proximè accedens ad cognitionem hujus gloriæ, quæ est in patria & statu beatitudinis.

14. Ex quibus confutatur etiam aliud, quod objici posset, argumentum: nempe, ex nostra opinione sequi, quod quilibet justus esset Theolo-

gus

gus mysticus; quia donum sapientiae habet quilibet justus.

15. Nam respondetur, quod non quodliber donum sapientiae nominet Theologum mysticum & contemplatorem; sed illud, quod est intensum & in gradu perfecto, atque connotat extirpationem vitiorum, possessionem virtutum, & augmentum charitatis. Ille ergo dicitur verè ac propriè habere Theologiam mysticam, qui donum sapientiae possidet in magna perfectione, & à vitiis purgatus, charitate incensus, & aliis virtutibus illuminatus facile & delectabiliter Deum ac Divina contemplatur. Sicut à pari, licet *perfectio* consistat in charitate, non tamen quælibet *charitas* denominat perfectum; sed illa tantum, quæ est intensa, à vitiis emundata & choro aliarum virtutum ornata & stipata.

16. Quod verò attinet illam sententiam, quæ defendit, Theologiam mysticam adæquatè consurgere ex dono sapientiae & virtute charitatis simul, secundùm principia Doctoris Angelici neganda est. Quia citata quæst. 180. art. 1. expressè docet, quod *vita contemplativa*, quantum ad ipsam essentiam actionis, pertineat ad intellectum. Charitas proinde & amor sunt proprietates Theo-

14. *Diff. I. De Natura Theologiae mysticae*

logiae mysticæ; non verò eam constituant, sed constitutam supponunt; ut S. Doctor frequenter citata quæstione ingerit & commonstrat. Simile quid à discipulis S. Thomæ traditur in 1. 2. de beatitudine, ubi docent, beatitudinem in sola visione beata consistere, amorem verò beatum se habere consequenter, eumque non componere intrinsecè beatitudinem, sed compositam præsupponere. Hæc verò non ad rem sed scholas pertinent, ubi cuique liberum est sentire.

17. Si autem hæc alicui in scholis non versato, obscura & difficultia apparet; non exinde tristetur. Sicut enim ait devotus libellus de Imit. I. 1. cap. 1. quod opribilius sit sentire compunctionem, quam scire ejus definitionem: Sic & ego dico: melius est sentire Theologiam mysticam, quam scire. Nam licet Theologus scholasticus valeat ex suis principiis Theologiae mysticæ naturam explicare, proprietates & fructus demonstrare, & omnes ipsius dotes explanare; nihilominus ultra vires ejus & virtutem est, actum mysticum, etiam infimi ordinis & gradus, elicere: potest quidem modo speculatrii tradere & docere Theologiam mysticam, sed non exercere e. Sed vana & prolsus inutilis est nuda speculatio Theologiae mysticæ,

nisi

nisi & manus operi applicetur, & doctrina tradita in usum deducatur. Quod quidem est finis præsentis Tractatus, qui non propter scientiam sed propter exercitationem Theologiae mysticæ conscriptus est. Quare necessum erit ante omnia, torpentes animos ad studium & usum hujus altissimæ sapientiae concicare.

### ARTICULUS III.

#### De Dignitate & Utilitate.

**T**ria maximè nos excitant ad ali- **Dignitas**,  
cujus rei æstimationem, amorem,  
& exercitationem, nempe dignitas, utilitas & jucunditas. Videtur supervacaneum multis extollere dignitatem hujus nostræ Theologiae, utpote, cuius excellentia de se ex præmissis est patens ac evidens. Nam sicut charitas inter formas voluntatis est dignissima ; sic contemplatio pro statu viæ inter formas mentis est eminentissima. Quid altius est Verbo Divino ? quid sublimius Dei Filio ? Sed contemplatio verè huic similis est & conformis. Nam *Filius in Divinis*, ut ait S. Thomas 1. p. q. 43. a. 1. *Est Verbum non qualemunque sed spirans amorem.* Quid vero, an contemplatio non spirat amorem ? Omnino alia.

16 Diff. I. De Natura Theologia mystica.

aliás non esset notitia affectuosa. Melior est acquisitio ejus ( nempe sapientiae ) ne-gotiatione auri & argenti , primi & purissi-mi fructus ejus : pretiosior est cunctis opibus , & omnia , quae desiderantur , huic non va-lent comparari . Prov. 3. v. 14.

2. Non vacat , multum me in am-plificandis Theologiae mysticæ enco-miis degnere ; quare sufficiat breviter & velut summatis laudes ejusdem , verbis S. Scripturæ proponere . Sic enim de hac enunciat Sapiens Sap. 7. v. 22. &c. Est enim in illa spiritus intelligentia , san-ctus , unicus , multiplex , subtilis , disertus , mobilis , incoquinatus , certus , suavis , amans bonum , acutus , quem nihil vetat , benefaciens , humanus , benignus , stabilis , certus , securus ; omnem habens virtutem , omnia prospiciens , & qui capiat omnes spi-ritus : intelligibilis , mundus , subtilis , om-nibus autem mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam mundi-tiam . Vapor est enim virtutis Dei , & emanatio quædam est charitatis omnipotentis Dei sincera : & ideo nihil inquinatum in eam in-currit . Candor est enim lucis aeternæ , & speculum sine macula Dei Majestatis , & ima-go bonitatis illius &c. Est hæc speciosior so-le , & super omnem dispositionem stellarum , luci comparata invenitur prior . Ibi enim suc-cedit nox , sapientiam autem non vincit ma-litia .

litia. Hæc attente legens, non potest non summam Theologiae mysticæ præcelentiam admirari, æstimare, amare, desiderare; & cum eodem sapiente ibidem v. 8. &c. apud se decernere: *proposui illam regnis & sedibus & divitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Arena est exigua, & tanquam lutum estimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dlexi illam; & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius.

3. Quod utilitatem spectat, ea quo- *Utilitas multiplex:*  
que tam multiplex est, ut paucis foliis non possit condigne exprimi: nam tale & tam magnum est bonum Theologia mystica, ut omnia bona in se contineat, efficiat & tribuat possessori. De hac enim Spiritus S. loco citato v. 11. edixit: *Venerunt autem nibi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & latatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam, quoniam horum omnium mater est.* Omnim ergo bonorum mater est Theologia mystica.

4. Ut verò aliquid singulatum de *nam imo*  
*fructibus ejus dicatur, in primis certum liberat à*  
*est, quod Theologia mystica perfecta peccato,*  
*liberet ab omni peccato. Quid enim*  
*est peccatum, nisi aversio vel efficax &*  
*plena, vel inefficax & imperfecta ab ul-*  
*timo*

18 Diff. I. De Natura Theologiae mysticæ.

timo fine, prout scilicet peccatum vel grave vel leve est ? At vero, quid est Theologia mystica nisi efficax & plena conversio ad ultimum finem ? Contemplatio enim per seipsum convertit mentem ad Deum, & efficienter voluntatem; & consequenter praestat, ut intellectus & affectus ferantur ad Deum summum Bonum. Quomodo autem simul stabit conversio & aversio ? lux & tenebrae opponuntur : sapientia lux est pulcherrima, est enim speciosior sole : qui ergo cum hac tenebrae peccatorum consistent ? dum sol oritur, tenebrae occidunt ; & dum in anima oritur sol Theologiae mysticæ, tenebrae peccatorum occidunt & aufugiunt. Hinc apud Doctores mysticos sententia communis est, quod veniale peccatum veram contemplationem impedit, & mortale omnino cum ea stare nequeat, de quo disputat Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 45. art. 4.

2dō facit  
spernere  
mundum,

5. Certum est 2dō. quod Theologia mystica faciat spernere mundum & omnia quae in mundo sunt. Contemplator enim nihil aestimat, ad nihil tendit, nihil cogitat, nihil suspirat, & aspirat, nisi Deum, Bonum infinitum, cætera bona vero arbitratur omnia ut stercora. Cogitare de mundo vel aliquo munda-

no

Art. III. De Dignitate & Utilitate. 19

no negotio ipsi crux est & afflictio; quia mundus contemplatori crucifixus est, & ipse mundo. Contrà unicam & solam in hoc mundo aestimat delectationem, cogitare, amare, desiderare, suspirare ad Deum & ad Cœlestia.

6. Certum est 3tò. quòd Theologia mystica passiones in debitum ordinem redigat, & torum hominem omnino nat,

nésque ejus vires rectè componat. Ratio est: quia hæc Divina Sapientia ordinat sui possessorem ad Deum, primum & ultimum Bonum ac Finem; & consequenter appetitus concupiscens non amat, non desiderat, non gaudet, nisi de Deo, & in Deo; nec odit, fugit, aut dolet, nisi quod abducit à DEO. Pariter appetitus *irascens* non irascitur, non audet, non timet, non execratur, nisi quod à consideratione & dilectione summi Boni, Dei nempe sui, impedit, abstrahit, vel omnino avellit. Quem enim Deus ad contemplationem sui elevat, ei nihil amplius de hoc saeculo ejusque gaudiis & bonis sapit, sed omnia, quæ infra Deum sunt, desipunt. Unde omnis appetitus à bonis conditis deflectit, & ad omnium Conditoris reflectitur.

7. Certum est 4tò. quòd Theologia mystica fidem augeat, spem roboret, omnes virtutes,

20 Diff. I. De Natura Theologia mystica.

ret , charitatem incendat , prudentiam doceat , justitiam inspiret , fortitudinem animet , temperantiam ordinet , ver-

Infrà de bo , omnes virtutes tam Theologicas  
hoc plura , quām morales mirabilē prorsus fœcun-  
diff. 4. art. ditate & efficaciā generat & progig-  
1. 2. 3. 4. nit. Homo in via purgante vel illuminante positus multo labore virtutes ob-  
&c. tinet & auget , sed contemplator velut in otio & sine labore eas in momento quasi omnes , & quidem in magno & perfectissimo gradu , acquirit. Affer-  
tum hoc , si non falsum , mirum saltem & inauditum Lectori videbitur : Sed tamen certissimum & verissimum est. Nam contemplatio bene disponit in ordine ad Deum & ultimum finem , reddit insipida omnia terrestria , facit dulcia omnia Coelestia : præstat , ut nihil placeat nobis cogitare mente , amare voluntate , desiderare utroque sensibili appetitu , quām Deum ac Divina ; & sic quasi uno momento efficit in contemplatore omnes & singulas virtutes. Nam virtus est , quæ facit bonum subiectum , & opus ejus pariter bonum redit , ut in ethica docetur : At verò contemplatio totum hominem bonum efficit ; quia ipsum & omnes ejus vires & opera ad Optimum , nempe Deum dirigit.

8. Quod

8. Quod ipsum ex scripturis luculentè confirmatur, in quibus Sapientia <sup>stò. efficit</sup> omnis boni mater & parens non semel beatum, extollitur. Sicut ergo beatitudo plena & perfecta à S. Boëthio definitur <sup>status</sup> omnium bonorum aggregatione perfectus & consummatus: Sic etiam Theologia mystica, quæ propter conjunctionem cum charitate, est beatitudo imperfetta & hujus viæ, rectè quoque dicitur ac describetur, status omnium bonorum aggregatione plenus ac refertus. Qui enim in statu contemplationis positus est, revera omnibus bonis redundat & abundat; & licet nondum beatus sit plenè, tamen est beatus semi-plenè & imperfectè, & ad statum plenæ beatitudinis proximè accedit.

9. Ex quibus demum colligitur, quòd Theologia mystica suo modo de <sup>Et quasi</sup> terrestri Cœlestem, de homine Ange-<sup>Calige-</sup> lum, de terrigena Cœligenam ferè con-<sup>nam.</sup> stitutat.. Et cur hoc, ais? quia nempe verè similem reddit Cœlitibus; & in hoc præcisè differunt Viator, Contemplator & beatus Comprehensor; quòd iste in lumine gloriæ, ille in lumine fidei & sapientiæ Deum summum Bonum contempletur. Unde etiam in sacris Scripturis frequenter, maximè in libris Proverbiorum, Sapientiæ, & Ecclesiastici,

Theo-

22 Diff. I. De Natura Theologia mysticæ.

Theologus mysticus seu sapiens *beatus* dicitur non quidem in re & proprietate, sed in spe & assimilatione. Sicut enim beatitudo patriæ in clarissima divinitatis intuitione per lumen gloriæ consistit; sic etiam beatitudo viæ in ejusdem divinitatis contemplatione per donum sapientiæ constitui debet. Et sicut ibi Deus in ratione summi Veri & Lucis, in mentibus Beatorum, & in ratione summi Boni & delectabilis voluntatibus intimè conjungitur; sic hoc idem, modo tamen inferiori, accidit mentibus & voluntatibus contemplatorum.

10. Omitto hic pluribus ostendere, quantum contemplatio & contemplator utilitatis afferant bono publico & Ecclesiæ. Putat noster Abbas Lætiensis Blosius institutionum asceticarum cap. 2. quod perfecti contemplatores plus utilitatis unâ horulâ Ecclesiæ adferant, quam multis annis adferre valeant alii, qui tales non sunt, nempe imperfecti. Ratio est: quia plus Ecclesiæ prodest oratio quam nuda exhortatio, & fructus illos, quos homines in vita agente constituti faciunt docendo & prædicando; contemplatores impetrant orando. Deinde hi quadam vi pollent divina alios docendi, movendi, convertendi, ad perfectionem ducendi; & sic brevi tempore plu-

plures longè conversiones faciunt, quām  
alii longissimo tempore multisque labo-  
ribus, ut multorum Sanctorum, ma-  
ximè Apostolorum, exempla demon-  
strant.

11. Nec fortè suspicetur aliquis,  
quod nimium extollamus Theologiam  
mysticam. Nam de ea parum dicitur,  
licet multum dicatur. Tam pretiosa  
est, ut nesciat homo pretium ejus, nec il-  
lius excellentiam capere possit. Infi-  
nitus enim thesaurus est hominibus, ait de  
ipso cap. 7. v. 14. ipsa Divina Sapien-  
tia; Quo, qui usi sunt, participes facti sunt  
amicitia Dei, propter disciplinæ dona com-  
mendati. Neimpe credimus, non intel-  
ligimus, qualis, quantus, & quām im-  
mensus thesaurus sit Theologia mystica  
& cœlestis Sapientia. Habitus enim est  
supernaturalis; & per consequens om-  
nem intellectum naturalem & secun-  
dum naturalia consideratum excedit.

#### ARTICULUS IV.

##### De Jucunditate Theologiae mysticae.

1. **T**heologia mystica est sumè delectabilis ac deliciosa. Ita concludunt Theologi mystici, & S. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 7. qui in primis hanc assertionem probat authorita-

24 Diff. I. De Natura Theologia mystica.

te S. Scripturæ & S. Gregorii, Sapiens enim de Sapientia , sub cuius nomine maximè & quasi per antonomasiā ve-  
nit Theologia mystica Sap. 8. v. 16. taliter pronunciat. Intrans in domum meam conquiescam cum illa : non enim habet ama-  
ritudinem conversatio illius, nec tedium con-  
victus illius, sed latitiam & gaudium. Et S.  
Gregorius ait : Contemplativa vita ama-  
bilis valde dulcedo est.

2. Deinde probat dupli ratione.

Quia unituque delectabilis est operatio sibi  
conveniens : contemplatio autem veritatis  
competit homini. Nam omnes homines ,  
ait ibidem S. Doctor ex Philosopho ,  
naturaliter scire desiderant ; & per conse-  
quens in cognitione veritatis delectantur.

3. Nec fortè huic S. Thomæ ar-  
gumento quis opponat, quòd veritates  
naturales quidem oblectent , non verò  
supernaturales, quæ contemplatione per-  
cipiuntur.

4. Respondetur enim , quòd etiam  
supernaturales veritates sui oblectatio-  
nem relinquant. Nam si magnum gau-  
dium percipimus in contemplatione re-  
rum infimarum & vilissimarum ; an non  
majores delicias gustabimus in conside-  
ratione veritatum & rerum altissimarum  
& sublimissimarum , & maximè ipsius  
Dei , ineffabilis & infiniti Boni ?

5. Hic

5. Hic ergo notandum est, quod cum S. Thoma in scholis docetur, nempe, actus virtutum aliquando, maximè si remissi sunt, elici sine delectatione comitante aut subsequentे; At verò actibus donorum est proprium, ut cum gaudio, cum suavitate & gustu exerceantur. Hinc etiam donum sapientiae definitur notitia Dei non qualiscunque sed gaudiōsa sapida & deliciosa. Sicut ergo Theologia mystica semper generat amorem, sic etiam semper aliquam gignit dulcedinem & oblectamentum.

6. Alio modo, inquit S. Thomas, contemplatio redditur delectabilis ex parte objecti, in quantum scilicet aliquis rem amatam contemplatur. Nihil enim dulcius amanti potest evenire, quam consideratio de amato & conversatio cum dilecto. At verò contemplator Deum ferventissimè amat: consequenter omne suum gaudium tenet, si potest contemplationi Divinæ bonitatis inhærente.

7. Et quidem oblectamentum, *Valde*, quod in contemplatione sentitur, non est leve & modicum, sed grande & magnum. Unde S. Thomas citata quæst. art. 7. delectatio ejus, nempe contemplationis, omnem delectationem humanaṁ excedit. Et S. Bernardus de contemplatione loquens, sermonē in Domini-

26 Diff. I. De Natura Theologiae mysticae.

minica infra Octavam Epiphaniæ ait : *rara hæc hora est & parva mora*, & breve omne illud tempus, quod eidem impenditur : quod etsi longissimum sit, instar flatus ac suspirii prætervolat. Sic evenit S. Antonio. Nam cum hic inclinante sole orationem cœpisset, in ea perstiterit, usque dum sol oriens ipsius oculos feriret ac perstringeret. Unde etiam cum eodem expostulabat, quod tam citò sua luce lucem internam, quâ Pater luminum ejus mentem illustrabat, eriperet. Unde eriam S. Aug. lib. 12. contra Faustum cap. 42. describit contemplationem & nominat, *quandam sanctam ebrietatem alienatæ mentis ab infraalbentibus temporalibus*. Evidem homines carni & corpori immersi hoc credere nolunt, quia de talibus voluptatibus nihil gustarunt. Credunt tamen & communiter affirmant illi, qui de his spiritus oblectamentis habent tum notitiam tum experientiam.

8. Nec obest, si amplius instes & urgeas, quod delectatio sequatur operationem perfectam. Si enim veritatem tantum obscurè, obiter & velut per transennam cognoscam, potius affligor & crucior, quam reficior. Hoc autem contingit in contemplatione viæ, quæ imperfecta est & ænigmatica.

9. Præ

9. Ad hoc argumentum respon- *Præ omni*  
det S. Doctor citato art. 7. ad 3. Dicen- gaudio  
dum, quod contemplatio Dei in hac vita im- terreno.  
perfecta est respectu contemplationis patriæ:  
& similiter delectatio contemplationis viae  
est imperfecta, respectu delectationis con-  
templationis patriæ, de qua dicitur in Ps.  
35. torrente voluptatis tua potabis eos. Sed  
contemplatio divinorum, qua habetur iu-  
via, et si imperfecta, tamen est delectabilior  
omni alia contemplatione quantumcunque  
perfecta, propter excellentiam rei contem-  
plata. Nulla ergo contemplatio natu-  
ralis tam est dulcis & amœna, quam hu-  
jus cœlestis sapientiae.

10. Hinc etiam Propheta Regius  
Ps. 30. v. 20. illam dulcedinem, quam  
Mystici possident, magnam, multam & ab-  
sconditam nominat. *Magna* enim est;  
quia omnes alias delicias hujus viæ ac  
vitæ excedit; fere sicut vastum pelagus  
aquaæ guttam, sicut celum terram, &  
sicut gaudium in Creatore superat gau-  
dium in creaturis. *Multa* est & multi-  
plex; quia omnis divina perfectio om-  
ne attributum omne mysterium novam  
ministrat gaudendi materiam. *Abscon-*  
*dita* est & secreta; quia nullus hanc dul-  
cedinem novit præter illum, qui eam  
in secreto cordis degustat & experitur.  
*Est* gaudium, quod non datur impiis, sed

28 Diff. I. De Natura Theologia mystice.

is, qui te gratis colunt, inquit S. Aug.  
quorum gaudium tu ipse es: Et ipsa est bea-  
ta vita gaudere de te, in te, per te, ipsa est  
Et non alia, inquit S. Augustinus lib. 10.  
Confessionum cap. 22.

11. Hæc & similia dum homo pru-  
dens expendit, demum concludat & a-  
pud se statuat, se totum dare & con-  
secrare studio Theologiae mysticæ & su-  
percœlestis sapientiæ, & cum Sapiente  
Sap. 8. v. 17. ex animo dicat: Hac co-  
gitans apud me & commemorans in corde  
meo: quoniam immortalitas est in cognatio-  
ne sapientia, & in amicitia illius delecta-  
tio bona, & in operibus manuum illius ho-  
nestas sine defectione, & in certamine loque-  
la illius Sapientia, & præclaritas in com-  
municatione sermonum ipsis: circuibam  
quarens, ut mibi illam assumerem. Quis  
enim sapiens considerans tum dignita-  
tem tum utilitatem tum hilaritatem istius  
supercœlestis sapientiæ eandem non qua-  
rat, non concupiscat, non ipso opere af-  
sumat?

12. Si tamen noter asceta se pi-  
grum & lendum ad hujus Theologiae stu-  
dium, aut remissum in ejus desiderio,  
aut frigidum in ejus amore, juverit le-  
gere totum librum Canonicum, qui in-  
scribitur Sapientia, vel saltem caput ip-  
sius septimum. Aspirant enim Divi-

nâ gratiâ sentier, se ex ejus lectione desiderio & dilectione Theologiae mysticæ accendi. Huc etiam faciunt aspirationes sacrarum litterarum vocibus expressæ, quæ mira vi pollent ad hujus sapientiæ aestimationem & amorem in nostris cordibus generandum. Tales verò sententias abundanter ministrant cum Psalmi tum nominatus liber Sapientiæ, tum Proverbiorum, Ecclesiastis, & Ecclesiastici &c. Notant enim Mystici, quod ea, quæ in Psalmis dicuntur de beatitudine in sensu anagogico, intelligantur de Theologia mystica in sensu morali mystico. Unde loco aspirationum hæc & similia regii Prophetæ vota & exclamations servivunt. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini! cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Ps. 83. v. 2. Item: Satiabor interim, cùm apparuerit gloria tua Deus in contemplatione Sapientiæ! Ps. 16. v. 15. Item: Latatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus &c. Ps. 121. v. 1. & in libro Sapientiæ &c. Plurimæ tales Sententiæ occurrunt, velut cap. 7. v. 8. proposui illam, nempe sapientiam, regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius &c.

30 Diff. I. De Natura Theologiae mystica.  
ARTICULUS V.

*Excusationes negligentium studium Theologiae mysticae.*

Confuta-  
tur excu-  
fatio

1. Sed aliqui fortem dicent: ardua nimis res est Theologia mystica, sublimis, excelsa, quæ omnes hujus viae gratias excedit. Donum est, quod non datur hominibus imperfectis, sed unicè perfectis & sanctis. Quin tam est altum hoc donum, ut etiam non quibuslibet Sanctis divinitus concessum & tributum sit, sed iis duntaxat, qui in magno gradu sanctitatis & perfectionis effulserunt. Quare præsumptio forter & grandis superbia, si ego homo peccator, omnis sanctitatis expers, omnium econtra vitorum particeps, ad hanc supercelestem & prolixi divinam sapientiam aspirare vellem, aut obtinere contendarem.

Ratione  
præsum-  
ptionis,

2. Ad hanc multorum excusationem respondeo. Et in primis concedo, quod Theologia mystica sit gratia profusa extraordinaria & gratia gratiarum, quæ solum magnis Sanctis tribuitur. Nego tamen, quod sit præsumptio, ad gratias singulares & viris tantum Sanctissimis concessas suspirare & conari. Nunquid præsumptio est æmulari charisma-

ismata meliora , ad magnam charita-  
tem aspirare & perfectionem. Non  
duntaxat Sanctos jubet Christus imita-  
ri , sed ipsum Deum nobis proponit ad  
imitationem Matth. 5. v. 48. dicens :  
*Estate perfecti , sicut & Pater vester cœle-*  
*stis perfectus est.* Equidem foret arrogan-  
tia & præsumptio , si quis vellet pro-  
priis viribus & non virtute gratiæ ad  
perfectionem & apicem contemplatio-  
nis evadere : at verò per Divinæ gra-  
tiæ auxilium ad magnam sanctitatem  
contendere , signum est magnæ confi-  
dentiæ , magnæ charitatis , & magna-  
nimitatis. Ad hoc data nobis est me-  
moria , ut Dei reminiscamur ; ad hoc  
intellectus concessus , ut per fidem &  
contemplationem ad altissimam DEI  
cognitionem assurgamus ; ad hoc nobis  
præstita voluntas , ut Deum sumo amo-  
re prosequamur , siquæ intimè uniamur.  
Adhæc foret præsumptio consurgere ad  
contemplationem sine prævia humili-  
tate , meditatione , & aliis dispositionibus ,  
quæ à Theologis mysticis exiguntur ,  
& inferiùs à nobis describentur. Po-  
sitis ergo certis cautionibus & condi-  
tionibus , non tantùm vitiosum non est ,  
affectare contemplationem , sed valde  
meritorium , gloriosum , virtuosum ,  
nobis utile , Deoque acceptissimum.

32 Diff. I. De Natura Theologia mystice.

Nam hæc Divina scientia neminem à sua schola excludit , modo afferat humilitatem & charitatem ; ad omnes cla-

Ecli. 24. mat : Transite ad me omnes , qui concupiscauit me , & à generationibus meis implemini : spiritus enim meus super mel dulcis &c. Nec excludit viles , plebejos , parvulos & stultos .

Prov. 9. v. 4. Nam & hos inclamat & ad suas scholas invitat : Si quis est parvulus veniat ad me , & insipientibus locuta est : venite , comedite panem meum , & bibite vinum , quod miscui vobis. Relinquette infantiam , & vivite , & ambulate per vias prudentiae .

3. Altera excusatio est : aliis rebus occupor & negotiis , quæ non permittunt vacare huic Theologiæ. Alius dicit : me cura tener domestica ; alias excusat ; me cura curarum , cura animalium impedit ; alias ingerit : ad orationem vocalem , ad meditationem , ad breviarium devotè recitandum incumbo ; alias objicit : vi statūs , quem profiteor , alia exercitia obire ex mandato Superiorum & obedientiæ demandor. Consequenter non valeo simul medare his operibus , & simul contemplationem exercere .

Negotiorum ,

4. In hoc discursu negotia & opera , quæ simul stant cum contemplatione , separanda sunt ab illis , quæ cum

eum ea repugnant. Hinc non vertitur  
vitio, si Pater - aut Materfamilias ne-  
gligant studium Theologiæ mysticæ :  
at verò quis vitio non dabit Clerico aut  
Religiolo, qui vitam contemplantem  
vel primariò vel ad minùs secundariò  
proficitur? quid absurdius cogitari pos-  
set, quām contemplationis statum, vel sal-  
tem vitam mixtam assumere, & non ex-  
ercere? quis artifex aut opifex certam  
artem vel opificium proficitur, quin  
exerceat? indignus est nomine pictoris  
v. g. qui non pingit, nomine scribæ,  
qui non scribit, nomine fabri, qui non  
fabricat, & sic deinceps: similiter ex  
paritate rationis indignus est nomine  
proficitis vel statum contemplationis vel  
mixtum, qui non vacat contemplatio-  
ni, vel miscet actioni contemplatio-  
nem. Hoc ipso enim, quia vocatus est  
ad similem statum, etiam vocatus est  
ad studium contemplationis, sine quo  
nec stat, nec rectè ac perfectè servatur  
eiusmodi status.

5. Cæterū non bene intelligit  
naturam contemplationis, qui putat,  
quòd cura animarum, oratio vocalis,  
recitatio Breviarii, meditatio, exami-  
na, & alia functiones spirituales sint  
impedimenta contemplationis, cùm po-  
tius vera sint adjumenta. Hæc enim

34 Diff. I. De Natura Theologia mystica.

& similia opera contemplationem præparant, non retardant, & sub his ipsis actibus potest exerceri & à proœctis Ascetis exercetur contemplatio. Imò eam nec actiones indifferentes excludunt. Nam legimus de antiquis Monachis, quod egregiè & sublimiter contemplati sint, sportellas texendo & alia opera manuum peragendo. Quin ipsæ curæ & negotia domestica, imò & publica, contemplationi absolutæ non adversantur; quia constat S. Ludovicum Regem Galliæ, S. Leopoldum Marchionem Austriæ, S. Eleazarum Comitem & alios sanctos Principes res publicas, item S. Margaritham Reginam Scotiæ, S. Brigittam, S. Francisca Rom. & alias Sanctas Matronas egisse res domesticas ferre sine detimento contemplationis. Sicut à charitate & perfectione nemo excluditur; sic etiam nemo à contemplatione, modò velit perfectè vivere, & ea facere, quæ ad hanc requiruntur.

6. Sed aliqui pusillanimes, & pulli cordis Ascetæ, timent pericula, quæ incurrisse legunt quosdam Theologiae mysticæ studiosos. Multi, inquit, ad montem contemplationis ascendere tentarunt, sed quod altius evaserunt, hoc turpius & profundiùs delapsi sunt. Multæ sunt imposturæ dæ-

mo.

monum, quæ etiam sapientes deceperunt. Arduum est discernere inter genuinam & adulterinam contemplationem, inter veram & falsam illustrationem, inter Angelum lucis & tenebrarum. Qui se comittit mari, committit se periculo naufragii.

7. Hæc imaginatio multos revocat à studio hujus supercœlestis sapientum. Quasi verò pericula humilitate, oratione, sapientum consiliis, non possint præcaveri. Multi lapsi sunt, sed propriâ culpâ, propriâ imprudentiâ. Conatur dæmon omnibus viribus bonos à studio contemplationis abstrahere; quia novit, Deo nihil esse acceptius, animabus conducedentius. Humilis contemplator facile dæmonum astus vitat, & nullus eodem majus in dæmones exercet dominium, nullus eodem remotor à deceptione, quia nullus eo illuminationior. *Frustra jacitur rete,* inquit Sapiens Prov. I. v. 17. *ante oculos penninatorum.* Facile enim technas & insidias dæmonum evadunt, qui pennis contemplationis se in altum, ad cœlos Deumque ipsum supra omnes tentationes extollunt.

8. Quare deplorandi & prorsus lugendi sunt, qui sensuum oblectamentis dediti & solis externis ritibus & devo-

36 Diss. I. De Natura Theologia mystica

tionibus contenti , vitam internam & mysticæ Theologiæ exercitia negligunt, vel omnino despiciunt. Nam hi tales necesse habent in eodem luto passionum & vitiorum hærere, nihilque vel parum totâ virâ proficere. Bona quidem & grata sunt Deo exercitia silentii , orationis vocalis , jejuniorum , ciliiciorum , vigiliarum & hujusmodi ; ac verò sine comparatione meliora evadunt, si ex directione contemplationis & mystica dilectione procedant.

9. Præterea novimus hodie errores , quos Theologi mystici tradiderunt: & consequenter facilè pericula vitamus, in quæ illi inciderunt. Gratias profectò debemus supremo Numinis ejusque suavi providentia , quia Ecclesiæ nunc revelavit erroneas propositiones , quibus hæc Divina scientia , apud quosdam inexpertos & nimium sapere volentes , scatebat. Nam tutiora & certiora valemus hodie statuere principia , postquam acta condemnationis Quietistarum & propositiones de Molinos ab Innocentio XI. confixæ & similia publica instrumenta emanarunt. Non ergo ullum periculum est lapsus , in via ad Theologiæ mysticæ adyta , postquam errores , in quos alii incautè impegerunt, novimus ac prævidemus. Quare velim , ut

ut Theologiæ asceticæ studiosus firmiter apud se decernat, insuper Theologiæ mysticæ operam navare. Nihil enim pulchrius, nihil utilius, nihil dulcior, nihil sanctius, quam hoc duplex studium. Quid enim juvat, quæstiones philosophicas, vel etiam Theologicas nudè scholasticas solerter excutere, & interim unam, veram, pacatam, solidam & divinam sapientiam, non acquirere? scholasticæ controversiae non suapte ingenio sed multorum abuso sæpè impeditur à contemplatione, nisi sobriè pertractentur. Nam studiosus Theologiæ scholasticæ nullo modo ad mysticam & asceticam se reflectens, animo & mente acutum Divina cernit, sed affectu & voluntate ad Deum non accedit; sicque ex pertinaci studio nullum prorsus meritum vel sanctitatis incrementum aquirit.

## ARTICULUS VI.

## De Subiecto Theologiæ mysticæ.

- I. In primis Theologiæ mysticæ subjectum  
paces non sunt Infideles, Pagani, remotum  
Judæi ac Hæretici. Ratio est: quia con-  
templatio supponit fidem, & proce-  
dit à fide & dono sapientiæ; at vero libus,

38 Diff. 1. De Natura Theologia mystica.

neutra est in prædictis. Unde licet Ethnici aut Hæretici Deum lumine naturali possint cognoscere ; tamen nequeunt lumine supernaturali , quod requiritur ad veram contemplationem.

*Et peccatoribus,*

2. Secundò Theologiae mysticæ pariter incapaces sunt peccatores in gravi peccato constituti. Tum quia in eis deest donum sapientiæ , sine cuius influxu & concursu nulla exercetur contemplatio : tum , quia contemplatio non supponit fidem quamlibet *informem* , sed *formatam* : tum denique : quia vera contemplatio procedit ex charitate , & infert actum charitatis , qui repugnat cum omni peccato.

*Omnesho-  
mines, eti-  
am sim-  
plices.*

3. 3tiò Theologiae mysticæ non sunt incapaces fæminæ , conjuges , viduæ , rustici , homines rudes & simplices , modo usum rationis habeant , in gratia & charitate sint , & debitè ad illam se disponant. Ratio est : tum quia etiam homines rudes contempti & vetulæ prædicti sunt gratiâ , fide , charitate , & donis Spiritus sancti , quæ sunt principia contemplationis. Ad comparandam , inquit Gerson tom. 3. de Theologia mystica consideratione 30. hujus mysticæ Theologia doctrinam non est magnâ scientiâ opus : nam cognitio ex fide , quod Deus est totus desiderabilis , totus amabilis ,

lis, si affectiva portio sit purgata, si illuminata, si disposita, si exercitata sit; cur non in illum totaliter desiderabilem & totum amabilem sine plurimorum studio fetur totaque rapietur? tum quia Deus non est acceptor personarum, nullumque statum à perfectione excludit. Hinc nulla est conditio, nullus status in Ecclesia tam vilis, tam despectus, qui non habeat viros insigniter perfectos, valde sanctos, & magnos contemplatores: tum denique, quia ad Theologiam mysticam descendam parum vel nihil faciunt humana prudentia vel multa terrestris sapientia, sed humilitas & sancta vita.

4. S. Aegidius aliquando S. Bonaventuram, Ordinis tunc generalis Ministrum, allocutus refertur in chronicō Ord. S. Francisci I. p. lib. 7. cap. 14. multas, inquit, vobis doctioribus Deus gratias concepsit, quibus eum laudare & servire potestis: nos vero Idiota & Indocta, qui nihil litterarum novimus, quid, queso, faciemus ad ei placendum? cui Bonaventura: et si aliam Deus boni gratiam non daret, quam ut is ipsum amare posset: hac unica profectio satis esset, ad maiora illi pro hac, quam pro aliis omnibus simul obsequia deferenda. Ulterius quæsivit Aegidius: Potestne idiota tanto erga Jesum Christum amore ferri, quanto

ali-

40 Diff. I. De Natura Theologie Mystica.

aliquis eruditus? respondit Bonaventura: una simplex vetula plus Deum amare potest, quam profundus aliquis in Theologia Magister. His auditis properè surrexit Aegidius, magnòque fervore correptus est; & ingressus hortum versus illam partem, quæ urbem respicit, clamare & exclamare cœpit: *Vetula paupercula, indocita, simplex, Dominum nostrum JEsum Christum ama, & major esse poteris, quam Frater Bonaventura.* His dictis extra se raptus est, & alienatus à sensibus, tribus continuis horis in eodem loco persistit iñotus.

5. Hæc doctrina, quæ communis est apud Theologos tum mysticos tum scholasticos, magno jure cedit solatio animæ devoutæ, sed tamen simplici & hebeti. Notent quoque idem assertum Confessores, conscientiarum rectores & spiritualium rerum Magistri, ne personas rudes male dirigant, quæ, si puram & sanctam viram ducent, frequenter ad gratiam contemplationis elevantur. *Spiritus enim, ubi vult, spirat;* qui non accipit personam, sed sanctam vitam.

6. Unde aliqui homines rudes à Deo misericorditer ad magnum gradum contemplationis efferuntur; quamvis de Deo rebusque Divinis nullam scientiam

Ioann. 3.v.  
8.

art. 17. De diligentiā  
A diligētiā necessaria  
est. Non quidem ob  
jectum cognoscere, &  
ut se rebus magis p  
rincipiis etiā finētis,  
ut similitudinēs,  
& expes omni  
in humana imbec  
tio & vita. Hi es  
tim de Deo ac  
in prophetā, proiec  
tiō maximē dona  
nullum generē de la  
titudine, scholasticis  
habent Theologis  
nihil cognitionis  
similitudinē,  
sicut, peccati  
in morte locutus  
Polaris hoc ide  
sundorum & S  
Num legunt  
functos & in c  
sternes. Ubi  
sit licet conser  
supta commun  
uiatur, quin  
sunt, & ex  
plicari. Conser  
vare & exp

tiam & scholasticam notitiam unquam habuerint. Non quidem obest speculatrix Divinorum cognitio , si debite applicetur ; at verò magis prodest, magis conducit ad istum finem humilitas , fides, sancta simplicitas , & maximè innocens & expers omnis labeculæ (quantum humana imbecillitas fert ) conversatio & vita. Hi ergo tales tenent altissimam de Deo ac Divinis cognitionem *mysticam*, profectam à donis Spiritus S. maximè dono sapientiæ ; at verò nullam tenent de ipsis rebus notitiam humanam, scholasticam, & profectam ab habitu Theologiae acquisitam. Ejusmodi enim cognitionem potius infusione , quam industriâ, potius amore quam labore , potius sancta operatione quam multa speculatione acqui-  
tunt.

7. Posset hoc idem confirmari plurimis Sanctorum & Sanctarum exemplis. Nam legimus omnis statu homines sanctos & in charitate ferventes & ardentes. Ubi verò ardet charitas , ferè lucet contemplatio. Quin charitas *supra communem legem* effervescentia non datur , quin supponat contemplationem , & ex hujus illustracione procedat. Contemplatio enim & charitas extraordinariè ebulliens nunquam

quam separantur. Potest quidem elici actus charitatis vulgaris & communis, quin donum sapientiae seu Theologia mystica influat; sed actus charitatis extraordinarius, elatus, & qui cum experientia & sapore mystico elicetur, semper supponit actum Theologiae mysticæ seu contemplationem. Quare anima etiam simplex & hebes, puri tamen cordis & sanctæ conversationis potest sperare elevationem ad mysticam Theologiam. Hæc enim nemini impossibilis est, nisi eis, qui abjecto & puro filio sunt corde, qui laborem ad ejus consecutionem requisitum subterfugiant, qui à vanitatibus hujus mundi & sensuum alienare se nolunt, qui necessaria media applicare recusant.

*proximum  
est intelle-  
ctus.*

8. De reliquo subjectum proximum Theologiae mysticæ est intellectus. Ratio est: tum quia donum sapientiae est in mente; at verò ex dictis liquet, quod Theologia mystica non distinguitur ab isto dono. Tum quia habitus consistit in ea potentia, à qua elicetur actus; sed actus Theologiae mysticæ, nempe contemplatio, elicetur ab intellectu. Tum quia Theologia mystica est notitia seu cognitio; nosse autem & cognoscere ad mentem pertinet non voluntatem.

9. Nec

9. Nec hic refragantur mystici, qui Theologiam suam nominant amoro-sam, sapidam, & affectuosam; sed vo-luntatis est, non mentis, *amare*, sapide gustare, & affici.

10. Nam respondetur, verum es-se, quod Theologia mystica sit amo-rosa, dulcis, & affectuosa *efficienter*; quia nempe efficit, gignit, & supponit amo-rem & affectum voluntatis. Interim ex se & naturâ suâ & *intrinsecè* Theolo-gia mystica non est amor & affectio, sed notitia & cognitio.

11. Colligitur ex dictis 1 mò. quod opera manuum & operationes ser-viles non impedian modum contem-plationis, sed tantum per accidens ob-nostram imperfectionem. Nos enim homines imperfecti non valemus simul laborare & *mysticè* considerare; quod ta-men Viri proiecti & perfecti exactè im-pleverunt.

12. Colligitur 2 dò. quod alia men-tis opera non stent cum actu contem-plationis. Ratio est: quia repugnat, ut simul cogitem humana & Divina, mundum & Deum, infima & suprema. Interim non repugnat, ut contempla-tor primariò versetur circa Deum, & secundariò attingat res creatas, & sic in ipso lumine contemplationis Deum af-

44 Diss. II. De Necessitate Preparationis.

aspiciat ut creaturas gubernantem, mo-  
ventem, dominantem & ad suos fines  
ordinantem. Sicut enim Cœlites &  
Beati in Verbo non tantum Deum &  
in infinitas ejus perfectiones intuentur, sed  
etiam creaturas, quæ secundariò repræ-  
sentantur: ita etiam suo modo contem-  
platores hujus viæ in lumine contem-  
plationis primariò attingunt Deum &  
secundariò alia, quæ à Deo ut prima  
causa emanant, & ad Deum tanquam  
finem ultimum reflectuntur.

## DISSERTATIO. II.

### De præparatione & mediis ad consecrationem Theologie mysticæ.

#### ARTICULUS I.

##### De Necessitate Preparationis.

###### I.

*Necessitas præparatio* A D contemplationem requiritur præ-  
paratio. Nam de lege ordinaria  
ad illam nullus elevatur, nisi certas dif-  
festenditur positiones adhibuerit. Probant hoc  
figuris sancti Patres & Theologi mystici ex-  
Scripturæ; emplis & figuris S. Scripturæ. Nam  
impri-

in primis Deus in momento universum condere potuisset, noluit tamen, sed diebus sex velut laboravit; ac demum *septimo die requievit ab omni opere, quod patraret.* Quo significatur, quod Sabatum & quietem contemplationis, debant precedere laboriosi dies actionis, nempe non est dignus quiete, qui eam non procurat labore. *Justus est Deus & æquus in distributione;* & consequenter non elargitur communiter mercem ante opus & actionem.

2. Deinde Jacobus Patriarcha debuit Labano septem ac iterum septem annis pro Rachele servire. Pulchra Rachel dicitur à Mysticis Theologia mystica & ejus actus contemplatio; ut ergo quis hujus speciosissimæ Rachelis amplexibus perfruatur, neceſſe est prius aliquo tempore in virtuagentis operibus servire. Contemplatio res est pretiosissima, excellentissima, digna ut pro eadem non tantum septem sed plures omnino anni serviantur. Jacobo separam & iterum septem anni videbantur *pau-* Gen. 29.v.  
*ci dies p̄æ amoris magnitudine.* Sic etiam, 20.  
qui vero & sincero tenetur amore contemplationis, quidquid pro ea agit, quidquid patitur, exiguum viderur. Longum tempus videtur ipsi breve, magnus labor videtur ipsi parvus, dura pœ-

46 Diff. II. De Præparatione & mediis.

poenitentia videretur ipsi mollis *pra* magnitudine amoris , quo fertur in contemplationem. Felix anima , quæ nullam curat servitutem , nullam reputat afflictionem , nullam recusat austeritatem pro obtainenda gratia contemplationis !

3. Idem S. Patriarcha debuit cum Angelo prius luctari , & postea nominis primùm mutationem adeptus , & Israël dictus est. Unde Hugo de S. Vic-

Lib. 4. de  
claustro  
animæ c.  
12.

tore: *post pugnam* mutabunt tibi nomen Jacob in Israël , luctatoris videlicet in hominem , qui *videt* Deum. Prius ergo pugnandum contra peccata , contra vitia , contra pravas inclinationes , contra passiones , & his debellatis acquires nomen novum. Et quale illud ? Israel , id est , *videns* Deum . qui enim nondum superavit vitia , Deum non videbit in contemplatione.

4. Præterea Moyses à Deo prohibitus est appropriare , nisi detractis prius calceamentis. Quo juxta Mysticorum expositionem denotatur , quod nullus per contemplationem Deo appropinquare valeat , nisi prius detrahatur , exuat , & solvat immundos tam vitiorum quam passionum calceos. Deus enim mundissimus est & fons omnis puritatis & sanctitatis ; & per consequens Eum inqui-

teri nequeunt oculi iñundi & infecti  
sordibus peccatorum.

5. Demum , ut alias multas figu-  
ras omittam , necessitatem præparatio-  
nis ostendit Deus in toto populo Israë-  
lis. Nam hic non repente , non celeri-  
ter , non viâ compendii ad terram pro-  
missam melle & lacte fluentem transla-  
tus est. *Circumduxit eum , & docuit.* Deut. 32:  
*v. 10.*

Quadraginta annis in deserto errârunt,  
laborârunt , multa tolerârunt. Terra  
promissa , terra melle dulcedine & amo-  
ris , & lacte puritatis & illuminationis  
manans , est status Theologiae mysti-  
cae & contemplationis. Hanc non re-  
pente , non subito , non sine labore ,  
non sine temporis lapsu obtinemus :  
multa opus est patientiâ , fortitu-  
dine , sudore , confidentiâ , desideriis ,  
suspiriis & aliis vita agentis operibus ,  
ut ad illam pertingamus. Ex innuine-  
ris verò Israëlitis duo tantum , nempe  
Jesue & Caleb ingressi sunt Chana-  
næam ; quo secundum Mysticos deno-  
tatur , paucos esse , qui ad extraordi-  
nariam contemplationem evadunt. Quia  
nempe etiam pauci sunt , qui debitam  
pro illius acquisitione præparationem  
adhibere solent.

6. In rebus naturalibus forma non Et decla-  
ponitur , nisi materia per præbias & natura-  
concomitantes dispositiones præparetur militudi-  
ad ne.

ad illius receptionem, ut in libris de or-  
tu & interitu rerum docetur. Nam ign-  
nis non ponitur, nec ex materia ligni  
v. g. resultat, nisi ab hoc frigus, hu-  
miditas, & aliæ igni contrariæ quali-  
tates expellantur, & siccitas, calor &  
aliæ igni convenientes qualitates indu-  
cantur. Sic etiam se res habet in no-  
stro casu. Contemplatio ignis est, ac-  
cendens voluntatem Divino amore: hic  
autem in anima non resultat, nisi con-  
trariæ huic cœlesti igni qualitates, nem-  
pe frigus & humiditas vitiorum & pec-  
catorum, etiam venialium, exuantur;  
& congruæ eidem igni qualitates, nem-  
pe amor & fervor ad res divinas & su-  
pernas, in anima generentur.

**Monitio.**

7. Hinc ob defectum præparatio-  
nis potissimum accidit, quod plurimi  
ad gratiam contemplationis non ele-  
ventur. Nam Deus paratus est tribue-  
re, modò paratus esset homo recipere.

**s. i.v. 5.** Si quis autem vestrum indiget sapientiam,  
ait S. Jacobus, postulete à Deo, qui dat  
omnibus affluenter, & non impropperat: &  
dabitur ei. Non enim parcus est Deus  
in dando, sed homo in se præparan-  
do. Ille rogatus ab homine, dat om-  
nibus affluenter, sed homo neglit se ad  
recipienda Divina beneficia aptare.

**8. Equi-**

Art. I. De Necessitate Preparationis. 49

8. Equidem verum est, & communis Mysticorum sententia tenet, quod extraordianariam Dei contemplationem, non valeamus condigne mereri. Altior enim haec est gratia & supra communem ordinem; & per consequens non cadit sub meritum hominum etiam sanctissimorum. Sed tamen Deus multa & innumera nobis confert beneficia non merentibus; & sic etiam hoc conserer, dummodo sufficienter idoneos & dispositos reperiatur: non enim ex nostro arbitrio & voluntate pender, ad verticem contemplationis ascendere, sed ab instinctu & voluntate Spiritus sancti. Ut enim ait sapiens Ecclesiasticus c. 39. v. 8. Si Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiae replebit illum, & ipse tanquam imbras emitet eloquia sapientiae sua. Non ergo est in potestate hominis altissima Theologiae mysticae cognitio, sed Dominus eam confert, si, ubi, quando, & quibus, voluerit. Homo itaque, qui paratus est omnia ad contemplationis assecutionem requisita ponere, confidenter potest hanc etiam gratiam extraordianariam sperare. Deus non deerit suae remunerationi, modò non desir homo suæ obligationi.

9. Hæc itaque debet esse hominis ad Theologiam mysticam aspirantis &

C

ten-

## 50 Diff. II. De Præparatione &amp; Mediis.

tendentis firma & efficax resolutio, nempe, quod velit omnia implere, quæ ad ejus consecutionem facere intellexerit. At verò dicet fortè anima devota & fervida: ad quæcunque prompta sum, modò detur consequi gratiam contemplationis: dura & aspera libens feram, modò ad quietem & dulcedinem Theologiae mysticæ attollar. Præ contemplatione alia omnia hujus mundi bona vilescunt; illam solam æstimo, cogito, amo, desidero, suspiro. Decerno firmiter (jurare enim aut vovere non audeo) non dabo somnum oculis meis, nec palpbris meis dormitionem, nec requiem temporibus meis, donec inveniam & præparem in anima locum Domino & tabernaculum DEO Jacob, in quo ego cum ipso in sancta contemplatione exultem. Non cessabo orare, aspirare, pulsare, donec introducat me Rex in cellam vinariam, ibique vino sanctæ charitatis inebriet. Modò scirem, quæ ad hunc finem præparatio singulatim adhibenda foret, eam libens & gaudens præmitterem. His ardentibus animæ devote propositis satisfaciet, ut spero, quod deinceps trademus.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Via Purgationis & Illuminationis  
præmittenda contemplationi.

1. **A**ssertum primum. Theologiæ mysticæ candidatus priùs debet interfistere vitorum purgationi, quām contemplationi. Ita communiter Ascœlos & hujus Theologiæ Magistri. Ratio quoque aperta est. Nam vitia lumen mentis impediunt, faciuntque, ne liberae nos ad superna levare possimus. Exemplum & figuram habemus ex Evangelio Joannis cap. 9. v. 7. Ubi cœcus à nativitate missus est à Domino se lavare in natatoria Siloe, qui abiit, & lavavit, & venit videns. Nos homines in rebus Divinis & supernaturalibus cœci sumus; & quis est tam insipiens & fatuus, qui non desiderat ab hac misera cœcitate liberari? At verò JESus hic ingredit & insinuat medium præsentissimum. **Quodnam illud?** lavatio in natatoria Siloe. Hoc autem fonte & piscinâ Siloë denotantur tum Baptismus tum Sacramentum Pœnitentiae, tum & maximè dolor, contritio, & lachrymæ pœnitentiae, quibus peccata tum quoad culpam, tum quoad pœnam abluuntur. Qui ergo vult lumen &

Theologia  
mystica  
supponit  
viam pur-  
gationis.

52 Diff. II. De Preparatione & Mediis.

oculum supernæ contemplationis recipere , debet sua vitia detestari , attritione & contritione delere , jejunio , sensuum & passionum mortificatione , preceis satisfacere , & lachrymis pœnitentiæ lavare. Ni hoc fiat , visum contemplationis non accipiet.

2. Sed hic oritur quæstio & controversia , quanto tempore & quamdiu Ascetæ , ad Theologiam mysticam contendenti , sistendum sit in via purgationis ?

Circiter

Ecli. XI.  
v. 23.

3. Ad hanc quæstionem non inutiliēm , respondeo imprimis , quod certum tempus pro omnibus nequeat determinari. Nam velut gratia est diversa , sic etiam diversus est profectus. Alii citius , alii lentius , horrorem de peccatis concipiunt , passiones subjugant , & vitia debellant. Aliqui ob vehementiam & intensionem contritionis subito ab omnibus peccatis immunes effecti sunt , & ad magnum puritatis gradum evaserunt. Nam Deo facile est , subito honestare pauperem , & in momento facere divitem virtutibus. Exemplum habemus in S. Maria Magdalena , in S. Disma , in S. Paulo , qui subito ab omnibus vitiis & pravis inclinationibus in prima statim conversione purgati creduntur. Sed haec extra-

ordi-

ordinaria sunt, quæ communiter spe-  
rari non possunt, nec debent.

4. Respondeo 2dò cum quibusdam  
Asceris, qui ordinariè viæ purganti Tri- Per trim-  
mestre deputant. Adhuc brevius tem- stre,  
pus huic purgationis exercitio tribuit  
Hugo Carthusianus apud Dionysium  
Carthusianum, qui in opusculo de pro-  
fectu charitatis pag. 8. sic habet: po-  
stea per mensem unum vel duos, secundum  
quod divino superradiante lumine sibi vide-  
bitur expedire, ad amorem cogitando assur-  
gat. Quod tamen cum grano salis in-  
telligendum est. Nam si quis tepidè  
obiter & sine ullo vel exiguo fervore  
expulsioni vitiorum & passionum per tri-  
mestre intenderet, non satis se purgaret.  
Plus enim fervidi parvo temporis spa-  
tio proficiunt, quam tepidi magno. I-  
mò fervidus sàpè uno mense magis pro-  
greditur in extirpatione vitiorum, quam  
aliqui tepidi & laxi, etiam in statu Cle-  
ricali vel Religioso constituti, omnibus  
diebus viæ suæ.

5. Responderetur 3tiò. attendendum  
est ad signa, quæ stauuntur ab Asceris,  
ut quis à via purgationis ad viam illu-  
minationis prudenter valeat procedere.  
Primum est, si quis notet, quòd mag-  
num horrorem, odium, ac detestationem  
sentiat contra omne genus peccati, li-

54 Diff. II. De Preparatione & Mediis.

cet ex fragilitate humana quandoque in levia, & venialia incidat. Secundum, si advertat, se à nullo vitio singulari singulariter & efficaciter impugnari, sed nunc ab hoc nunc ab alio tentari. Tertium est, si à lapsu in aliquod vitium statim resurgat, nec multum perturberetur, aut in suis exercitiis impediatur. Si quis hæc tria signa notaverit, prudenter judicare poterit, quod in via purgationis aliquem hauserit profectum; & consequenter benè faciet, si ad viam illuminationis progrediatur. Non enim valemus, quamdiu in hoc corpore sumus, extinguere virtia, sed eorum somitem pure sopire.

6. Assertum secundum. Theologiae mysticæ candidatus debet contemplationi etiam præmittere viam illuminationis, seu, quod in idem recidit, debet priùs studio virtutum incumbere, quibus anima illuminatur, & idonea redditur ad supremam illuminationem, quæ in contemplatione recipitur. Ita rursum communis tum Theologorum mysticorum tum Ascetarum. Rationem hujus Asserti producit Divus Thomas 2. 2. q. 180. a. 2. ubi concludit, quod essentialiter quidem virtutes morales non pertineant ad vitam contemplativam, sed dispositivam. Impeditur enim actus contemplatio-

nis

nis per vehementiam passionum, per quam  
abstrahitur intentio animæ ab intelligibilibus  
ad sensibilia, & per tumultus exteriores.  
Virtutes autem morales impediunt vehemen-  
tiam passionum, & sedant exteriorum oc-  
cupationum tumultus. Et idè virtutes mo-  
rales dispositivè ad vitam contemplativam  
pertinent. Sicut enim in aqua lutulenta &  
turbata ventis & procellis nequit propria  
facies & forma conspici; etiam nequit  
Deus videri ab anima, quæ ventis &  
procellis negotiorum & passionum agi-  
tatur & turbatur.

7. Præterea in contemplatione qua-  
si celebratur mysticum matrimonium  
inter animam sponsam & Deum spon-  
sum: consequenter ad optabiles has  
nuptias debet anima sponsa virtutibus  
esse ornata & decorata. Unde in Can-  
ticis non semel sponsa à Divino spon-  
so laudatur ob pulchritudinem, decorum,  
& speciem non corporis sed animi &  
virtutum. Sponsus est pulcherimus &  
infinitè speciosus: ergo & sponsa debet  
ipsi esse ad minùs similis, cùm non pos-  
sit esse æqualis. Quis in aliquo con-  
vicio publico, quis in nuptiali solem-  
nitate audet comparere non indutus ve-  
ste nuptiali? Legitur in Evangelio Matt.  
22. v. 11. quod homo non indutus ve-  
ste nuptiali ejectus fuerit de convivio.

56 Diff. II. De Preparatione & Mediis.

Hoc idem evenit animæ, quæ sine veste nuptiali virtutum præsumit comparere in dulcissimo & splendidissimo nuptiarum spiritualium convivio desponsanda Deo. Nam ejicitur velut nimis sordida & sposo infiniti decoris indigna & nulla ratione conformis.

8. Sed hic rursum oritur dubitatio, quousque & quamdiu debeat anima in statu illuminationis stare, donec permitatur ad statum contemplationis assurgere.

9. Hic rursum tripliciter respondeo. Nam rīmō dico, quod communiter certum tempus nequeat statui, sed hoc Divinæ gratiæ relinquendum sit.

10. Dico zdd. quod possit pro via illuminationis & studio virtutum pariter trimestre vel medius annus constitui. Nam Deus animam velociter illustrat, virtutibus ornat, & ad thalamum suum aptat, modò ipsa in debita præparatione & fervore non deficiat. Clamat Dilectus Cant. 5. v. 2. Aperi mibi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea; quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Cupit nempe Deus ad animam devotam ingredi, ejusque castis amplexibus frui, modò januam recluderemus, & illa omnia removeremus, quæ ipsi discent,

Simpli-  
ter per  
trimestre  
&c.

. Art. II. De Via Purgationis &c. 57  
cent, & purissimam conjunctionem im-  
pediunt.

11. Dico 3tiò. quòd etiam oportet attendere ad signa, quibus Deus sollet vocare animam à statu illuminatio- nis & labore virtutum ad statum & quietem contemplationis. Signa autem sunt multa & multiplicia. Quid alia sunt 1mò. si quis notet, se magnam aestimationem desiderium & amorem virtutum habere, easque faciliter exercere; licet contra easdem aliquando virium & peccatum sub-vel ob-repat. Nam humanum est errare, & quamdiu sumus in via, non erimus omnis lapsus expertes. 2dò. Si in meditatione alicui non libeat amplius discurrere & motiva conquirere. 3tiò. Si quis gaudeat solis affectibus, nec, ut eos concitet, opus habeat multo discursu, sed nuda veritatis per fidei lumen propositione. Quamdiu enim adhuc percipitur gustus in meditatione, & sine discursu non moveatur ad aliquem affectum, meditatio non debet prætermitti. At vero, si meditatio sit dura, insipida, sterilis, & contra affectus dulcis, sapidus, & fœcundus, debet ascendi ad contemplationem neglecta meditatione. Nam hæc solùm adhibetur pro affectu concitando; si ergo affectus statim concita-

M.D. Mediolanensis

ARTICULUS

De pro confutacione  
mythorum.

S. Theologorum  
in humo singulare  
adoptionem  
libere. Hoc q.  
modo, quod vi  
sigillari. Nam in  
invenimus, ut  
Be. enim sit Pa  
dictionem novam  
non prudenter;  
unum, & fore  
e. concilium gen  
tium Deitatem est.  
n, qualiter opera  
hinc Majestatis  
et domine veritatis  
nobis sicut omnium ob  
tinuum intellatur  
tate & rogare  
debet inc  
y, ut se partic  
platum leviter  
modo lapidificare  
Deus in latere  
et cetera, debet

38 Diff. II. De Preparatione & Mediis.

tus est, vel concitari valet simplici actu fidei ; tempus meditando consumetur inaniter & sine fructu.

Monitio.

12. Hic ergo quædam devotæ animæ monendæ sunt, ne Divino lumini rebelles & contumaces exhibeant. Si Deus vocat ad contemplationem & affectionem, humiliter ei obedient, nec resistant, sed gratiæ Divinæ stimulis se accommodent. Inutiliter namque teritur tempus in meditatione, si quis vocatur ad contemplationem ; & vicissim inutiliter quis conatur assurgere ad contemplationem, nisi à Deo vocatus & illuminatus. Senes hic maximè attendant, ne multo & laborioso discursu meditationis & caput & sanitatem debilitent. Nam hi, si alias sanctè vixerint, ferè ultimis annis ad orationem affectionis cœlitus vocantur, gratiâ meditationis subtractâ. Et alias senectus est aptissima, tum ob moderationem passionum, tum ob gravem modestiam, tum ob rigorem prudentiæ, contemplationi, & puræ fidei & charitatis exercitationis.

ARTI.

## ARTICULUS III.

*Media pro consecutione Theologiae  
mysticæ.*

1. **S**ed forte Theologiae mysticæ avitius homo singulatim requiret, quæ pro hujus adeptione media oporteat adhibere. Huic quæstioni in primis respondeo, quod varia possint & multa assignari. Nam imprimis sapiens candidato sapientiæ tria media præscribit, nempe orationem, amorem, & studium. Sic enim ait Prov. 2. v. 3. Si enim sapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ: si quæsieris eam, quasi pecuniam, & sicut thesauros effodieris illam: tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies. Qui ergo vult intelligere, qualiter oporteat in conspectu infinitæ Majestatis cum Reverentia & filiali timore versari; qui cupit eminentem Dei scientiam obtinere & invenire, debet primitus invocare sapientiam, id est, 1. *Oratio*, debet orare & rogare pro celesti sapientia; seu debet increatam sapientiam invocare, ut se participem reddat, & in se vel unam levissimam guttam de illo immenso sapientiæ Oceano deriveret. 2. *Amor*, add. Debet inclinare cor suum prudentiæ, id est, debet cor suum avertire.

60 Diff. II. De Preparatione & Mediis.

3. Studi-  
smo.

ab omni amore terreno , & inclinare  
seu convertere ad cœlestem prudentiam,  
præ hac omnia alia spernendo , abjici-  
endo , & conculcando . Non satis est,  
Theologiam mysticam duntaxat petere  
& diligere , sed præterea oportet **3t̄d**  
**quærere** ipso opere . Quām cupidè ava-  
ri quærunt opes & pecunias ? quas mo-  
lestias non subeunt ? quæ pericula non  
tentant , ut eis portantur ? non enim  
veniunt opes sine labore , nec thesa-  
rus effoditur sine sudore . Omni pecu-  
niâ desiderabilior , omni thesauro pre-  
ciosior est Theologia mystica , & con-  
sequenter decet , ut non solum **quasi** pe-  
cunia quæratur , & **quasi** thesaurus effo-  
diatur , sed longè ardenter & effica-  
ciori affectu & conatu .

4 Taciturni-  
tas.

2. 4t̄d. Ad Theologiam mysticam  
plurimūm facit silentium & taciturni-  
tas . Homo enim multorum verborum  
manifestè ponit obicem cœlestibus illu-  
strationibus . Ubi verba sunt plurima , ibi  
frequenter egestas , nempe spiritus , pru-  
dentiae , sapientiae Prov. 14. v. 23. Qua-  
re homo contemplator loquitur gravi-  
ter , utitur paucis verbis , non loqui-  
tur vana & inutilia , sed Divina & seria .  
Qui enim verbosus est inter homines ,  
perdit facile omnem succum devotionis  
in oratione & contemplatione haustum .

Equi-

Equidem contemplator quā talis conversatur cum Deo ; quia verò , dum inter homines vivimus , etiam cum hominibus debemus conversari . Quid autem factō opus , ne conversatio cum hominibus ob sit & impedit conversationem cum Deo ? taciturnitas : Hæc enim præstat , ut cum hominibus agentes & loquentes Deum non offendamus , spiritus collectionem retineamus , & gratiam contemplationis non perdamus . Unde legitur in Threnis cap . 3 . v . 26 . Bonum est præstolari cum silentio salutare Deum . Hoc est , utile est filere , & in sancto silentio gratiam & illuminationem præstolari . Deus enim illuminat & elebat silentiarios & solitarios .

3 . Ex quibus sequitur quintum medium singulariter à Theologia mysticæ avido notandum & observandum , nempe solitudo . Nam Deus non loquitur animæ in foro , publico , in mundo , sed in domo , in privato , in secreto cubiculo . Hinc legimus Deum apud Osee cap . 2 . v . 14 . dicentem : Ecce ego lactabo eam , & ducam in solitudinem : & loquar ad cor ejus . Quod in sensu mystico taliter exponitur . Ecce ego maximus Deus me eosque demittam , & lactabo animam devotam lacte purissimo & suavissimo cœlestis con-

## 62 Diff. II. De Preparatione &amp; Medis.

temptationis. Sed tamen hæc singula-  
ris gratia ei non obtinget inter negotio-  
rum & hominum tumultus, sed mecum  
ducam in solitudinem, ibique loquar ad  
cor eius verba plena dulcedinis, consola-  
tionis, sublimitatis.

4. Nam ut communis habet sen-  
tentia, ad contemplationem requiritur  
abstraction ab omni re creata, & collec-  
tio in uno & solo Deo; hoc autem fit  
commodissime in eremo & solitudine.  
In hac enim nullus impedit, nulla res  
humana sensibus occurrit, nec ulla oc-  
casio distractionis se ingerit. Sedebit so-  
litarius & rasebit: quia levavit super se.  
Solitarius enim in terra solo corpore  
consistit, animo autem super terram  
& omnia terrena levatus & sublatus est.  
Nihil cogitat de mundo, quia mens  
ejus tota fixa & defixa est in Deo. Un-  
de Christus etiam exhibens tribus A-  
postolis suæ transfigurationis gloriam,  
eos seorsum duxit in montem locumque se-  
cretum, & transfiguratus est ante eos Matt.  
17. v. 1. Quo facto insinuat, ut  
nempe contemplator à turbis secedat,  
ad locum separatum se conferat, si ve-  
lit gloriam Domini in luce contembla-  
tionis speculari.

5. Ex quo tamen inferendum non  
est, quasi vero omnis contemplator de-  
beat

Thren. 3.  
v. 28.

beat ingredi Monasterium vel omnino  
eremum ac desertum & inter ferarum  
latibula domum sibi & casam instruere.  
Nam etiam in mundo , in populosâ ci-  
vitate potest , qui vult , eremum sibi  
construere , modo in propria domo eli-  
git locum sejunctum à tumultu , à ne-  
gotiis , à clamoribus. Cœlestis Magi-  
ster Christus Matth. 6. v. 6. omnibus  
non tantum Cœnobitis , qui habitant  
in Monasteriis , nec solùm Eremitis ,  
qui incolunt eremos ac deserta , sed uni-  
versim omnibus Christianis consuluit &  
præcepit. Tu autem cùm oraveris , intra  
in cubiculum tuum , & clauso ostio , ora  
Patrem tuum in abscondito ; & Pater tuus ,  
qui videt in abscondito , reddet tibi. Si er-  
go te orationi vel contemplationi vis  
dedere , non opus est , ut in vastum  
Thebaidis , Ægypti , aut Syriae ere-  
num discedas , nec opus est , ut in syl-  
vas egrediaris , sed in proprio cubiculo  
tibi eremum strue , claude ostium , va-  
ledic ad tempus omnibus rebus , cogi-  
tationibus & curis sæculi ; & videbis  
auxilium Domini super te , & hujus coe-  
lestes radios in te plenissimè derivari.  
Esto itaque solitarius , quantum pores ,  
quantum rationes tui officii , quod ge-  
ris , adjuncta loci , quem incolis , per-  
mittunt ; & Deus non subtrahet donum  
concretæ plenitatis .

6. Exerci-  
tia octi-  
duana.

6. Demum suadetur seriò ad Theologiam mysticam contendenti , ut præmittat exercitia , ut vocamus ; spiritualia , octo ad minus vel plurium dierum. Experienciam enim docuit , multos horum exercitorum virtute ad magnam sanctitatem & insignem contemplationis gradum evasisse. Nec mirum est ; nam exercitantes & incolunt solitudinem & vacant semper contemplationi ; & sic obtinent habitum contemplandi. Si verò anima devota nec occasionem habeat solitudinis nec taciturnitatis , nec exercitorum , & fortè aliis curis impediatur , quod minus se possit ad cœlestem sapientiam disponere , faciat , quod potest , & Deus non denegabit gratiam contemplationis. Nam hæ preparationes tantum pro iis determinantur , qui eas valent ponere ; quos autem Deus in talibus posuit rerum adjunctis , ut nihil aut parum de his præparationibus extrinsecis valeant præmittere , non contristentur , nec animum despondeant ; sed curent , ut humiliatae , amore , orationis studio , aspirationibus , & aliis sanctis operibus hunc defectum compensent. Præcipue autem notent , quæ articulo sequenti dicentur.

ARTI.

## ARTICULUS IV.

*De Principiis, & preparatione proxima ad Theologiam mysticam.*

1. **C**hristus revelavit S. Gertrudi I. *Principia*  
 3. *Revelationum cap. 74. ut ani- duo,*  
 ma, quæ vult cum Deo intima familiariitate conjungi modò contempletur vilitatem suam, modò Dei nobilitatem, & sic quasi vices alternet. Nempe hæc duo, quis homo? quis Deus? sunt fundamenta contemplationis, super quæ turò erigimus omnem fabricam perfectionis: haec sunt duo principia, in quibus *supercoelestis* sapientia, Theologia mystica, fundatur: hæ sunt duæ lectiones, quas Spiritus sanctus prælegit Discipulis & studiosis hujus Divinæ scientiæ. Et qui has duas bene cœpit, securè & sine erroris periculo ad verticem contemplationis & perfectionis ascendit.

2. Et quænam sunt, ais, hæ duæ *Nempe*  
 lectiones? cupidus eas audio & excipi, eisque discere, quali qualicunque suore constent, efficaciter propono ac decerno. Non suspendo ulterius avidum doctrinæ Discipulum, breviter enuntio: sunt *vilipendio* sui & mundi & *afslimatio DEI*, Sicut tota mundi fabrica

brica & machina velut pendere intel-ligitur in duobus axibus seu polis , arc-tico & antarctico : sic tota hujus sapi-entiae docttina pendet in vilipensione & aestimatione.

I. Vilipen-sio sui

3. Itaque homo , qui tendit & contendit ad hanc scientiam , debet omnes res creatas , & maximè scipsum , flocci & nihili pendere. Intellexi , ait S. Theresia parte I. vitæ cap. 22. To-tum adificium contemplationis fundari in humilitate. Quòd enim magis anima se de-primit , hoc magis à Deo elevatur. Et primò quidem debet se vilipendere in ordine naturæ. Quid enim est homo & totus mundus in ratione entis coram Deo ? minùs quam gutta comparata ad oceanum , quam pulvis ad terram , quam atomus ad totum mundum , quia nihil. unde Is. 40. v. 17. Omnes gentes quasi non sint sic sunt coram eo , nempe Deo , & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.

4. 2dò Debet se vilipendere in or-dine gratiæ ; quia peccator est. Peccatum enim tantæ est vilitatis , ut effi-ciatur ipso nihilo viliorem. Facit dignum non tantum morte , suspendio , capitis plexione , & quibuslibet tormentis hu-manis , sed purgatorio , si leve est , & inferno , si grave. Vilior est peccator clo-

cloacā, stercore, aspide, & quidquid  
sedum cogitari potest.

5. 3tiō. Hæc vilipensio debet ul- **Præctica**  
terius progredi , nec satis est, ut in so-  
la mente & speculatione , sed quām  
maxime in voluntate & operatione  
consistat. Debet ergo anima , quæ ad  
Theologiam mysticam aspirat , verum  
odium concipere omnis laudis humanæ,  
gloriæ, dignitatis , & ipso opere fuge-  
re ac repudiare. Nam verè humilis in-  
dignum se reputat omni laude & ho-  
nore , & dignum omni vituperio & im-  
properio , & quantūm ratio concedit ,  
illos declinat, hæc amplectitur. Om-  
nes occasiones contumeliarum , de-  
spectionum, injuriarum, persecutionum  
querit ; & nihil gratiūs ei potest eve-  
nire, quām si ab hominibus spernatur  
& velut lutum platearum conteratur &  
conculcetur. Si apud ipsam stat ele-  
ctio, runt in victu feligit amarissima ,  
in habitatione incommodissima , in ve-  
stitu asperrima , in officiis abjectissima ,  
ubique & in omnibus humillima & de-  
spicatissima.

6. Præterea debet vilipendere mun- **Et mundi,**  
dum, honores, divitias, & voluptates,  
tum intellectu, tum affectu, tum effectu,  
ita, ut nulli rei creatæ adhæreat, sed pro  
Deo omnia deferere prompta sit & ex-  
pe-

pedita. Pluribus hanc rem , utpote ab omnibus ascetis receptam, non demonstro, sed ad alteram lectionem tradendam, quæ est æstimatio Dei , me accingo.

*Et 2. esti-  
matio Dei* 7. Quare homo , avidus contem-  
plationis, velut scipsum debet flocci &  
parvi, sic Deum magni & maximi pen-  
dere. Non autem opus est ad hunc fi-  
nem Theologiæ operam dare ( hoc e-  
nim paucorum est ) sed sufficit , ut De-  
um sibi per fidem proponat talem , qua-  
lis in symbolo Apostolorum describi-  
tur. Nam perfectissima Dei cognitio  
non stat in speculationibus scholasticis,  
sed si Deus creditur unus & trinus, Al-  
pha & Omega , principium & ultimus  
finis & Bonum infinitum , qui pro no-  
bis natus , passus & mortuus est &c.  
Homo simplex , si habet perfectiorem  
fidem, perfectius Deum concipit , quam  
subtilissimus Theologus, qui minus per-  
fecta fide præditus est. Juvat quidem  
notitia Theologiæ scholasticæ & valde  
utilis est ad mysticam , non tamen ne-  
cessaria.

*Prædicta*

8. Hic tamen bene iterum notan-  
dum & imprimendum est , quod spe-  
culatrix æstimatio Dei non sufficiat  
sed requiritur ut sit actuosa & operosa ,  
& huic æstimationi conformiter agatur

&

& vita instituatur. Nam debet, qui vult ad contemplationem elevari, non præcisè Deum ut unum & trinum, & ut infinitum Bonum cognoscere, sed etiam diligere, adorare, laudare, obstupescere, submittere, conformare, & omnia propter ipsum operari.

9. Præparatio proxima similiter duabus partibus constat, nempe fide *Præpara-*  
præsentiae Divinæ, & aspirationibus. *tio prox-*  
Debemus ergo assuescere, & ubique & *ma,*  
maximè in nobis Deum præsentem cre- *Fides pra-*  
dere & considerare. Dicitur ergo ho- *sentia Di-*  
mini Theologiæ mysticæ studioſo, *vina,*  
quod Deus Abrahamo Gen. 17. v. 1.  
dixit: *ambula coram me, & esto perfec-*  
*tus.* id est, ambula semper in mea præ-  
sentia, & omnia age perfectè, nihil age,  
quod meam maiestatem offendat, &  
omnia age, quæ mihi placent. & quia  
mihi placent.

10. Interim præsentia Divina non *Et 2. Af-*  
debet esse otiosa sed actuosa, & in pios piratio-  
motus & aspirationes exire. Anima si- *nes,*  
quidem contemplatrix, ut habet au-  
thor de spiritu & littera cap. 62. sollici-  
tate flulet providere Dominum in conspectu  
suo semper. Sed quem in finem? hunc  
statim declarat, dicens: *cui consentias*  
*ad correptionem, quo illuminetur ad cog-*  
*ditionem, cui innitatur ad virtutem, quo*

## 70 Diff. II. De Preparatione &amp; Mediis.

reformatum ad sapientiam, cui conformatur  
 ad decorum, quo fruatur ad jucunditatem.  
 Aspiratio vero late & communiter ni-  
 hil est aliud, quam affectus internus vir-  
 tutis. Totuplex ergo statui potest as-  
 piratio, quotuplex est virtus: sed ta-  
 men proxima ad Theologiam mysti-  
 cam preparatio non habetur quaelibet  
 aspiratio, sed preprimis charitatis;  
 cum nempe anima amans erga Deum  
 sibi intimè præsentem variis exardescit  
 motibus charitatis tum elicitis, tum im-  
 peratis. Affidua enim aspirationum emis-  
 sio ait Blofius de institutionibus asceti-  
 cis cap. 5. vera mortificationi conjuncta,  
 certissimum est compendium, quo citò faci-  
 leque pervenitur ad perfectionem & mysti-  
 ca Theologia sapientiam unionemque Divi-  
 nam. Nam hujusmodi aspirationes effica-  
 citer penetrant ac superant omnia media,  
 quæ sunt inter Deum & animam. Quod  
 confirmat Joannes à IESU Maria cap. 9.  
 Theologiæ mysticæ. Concors omnium,  
 ait, quos legerim sententia est, ad Altissi-  
 mam Dei cognitionem & sensum sive experi-  
 mentum, aspirationum exercitio ita animam  
 erigi, ut si hoc Angelicum exercitium, mi-  
 ris laudibus celebratum, ceteris omnibus  
 antepositum frequentet, plurimum proficiat.  
 Habet enim tam egregiam vim extimulandi,  
 & divinis flammis urendi; ut hoc unum  
 ide.

idoneis circumstantiis septum & studio virtutum armatum, ad summam Christianæ virtutæ perfectionem & puritatem, corda nostra perducat.

II. Diversi autem sunt modi, quibus huic exercitio vacatur. Aliqui enim pro aspirationibus concitandis adhibent verba Scripturæ, alii sanctorum Patrum, alii propria excogitant. Primus modus est communior, & videtur efficacior. Nam verba Scripturæ sunt ignita & vi maxima pollent ad frigida corda nostra incendenda. Item alii serè semper easdem usurpant aspirations, alii pro excitando fervore continuò variant. Legitur, quod aliqui multis annis unam continuaverint magnō solatio nec minori fructu. Unus semper in ore & mente versat illa S. Apostoli verba: qui non amat Dominum nostrum IESUM Christum, anathema sit. I. Cor 16, v. 22. Alius continuò si non ore ad minus corde exclamat: Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus &c. Tertius in omnibus & ubique Deum benedic illis verbis: Benedictio & claritas & sapientia & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo nostro in sacula sanctorum Amen. Ap. 7, v. 12. Alii alii sententiis suum affectum incendunt. Alii suas aspirations accommodant me-

di-

## 72 Diff. II. De Preparatione &amp; Mediis.

ditationibus & examinibus ; quod utique non potest non esse laudabile & utile ? Sed hic gratiae Divinæ motibus lex non ponitur nec poni valet ; quilibet modo illo utatur , qui sibi videtur maximè proficuus.

12. Qui ergo vult in cellam vinariam cum sponsa introduci , sedulum se & continuum præstet in exercitio tum præsentia Divinæ tum aspirationum , quibus ad istam gratiam singularem proximè disponimur. Quin imò fides Divinæ præsentia , & respondens ipsi affectio amoris , est jam ipsa Theologia mystica & contemplatio vulgaris , quæ est proxima ad verè mysticam præparatio.

## Conclusio.

13. Ex quibus colligitur , nullum se posse excusare , quòd non valeat enī ad contemplationem. Potest cum gratia Divina , qui serio vult. An enim non valet se parvi & Deum magnum pendere ? an non valet , se exercere in præsentia Divina ? an non valet actus charitatis affectuosos & operosos , sicut etiam ignitas aspirationes , elicere ? nempe Theologiam mysticam vellemus obtinere , sed non secundùm illius principia vivere , nec dispositiones ad eam necessarias adhibere.

DIS-

## DISSERTATIO III.

De Actu Theologiae mysticæ,  
seu Contemplatione.

### ARTICULUS I.

Quid est quotuplex sit?

I.

EX dictis hic dissert. 1. colligi potest, quid sit contemplatio, nempe est actus mentis seu cognitio altissima, affectuosa, obscura tamen, Dei ut summi & infiniti Boni. Dicitur 1. Actus mentis seu cognitio. Quia non est per se actus voluntatis, sed mentis ac Theologiae mysticæ habitualis, quæ in mente residet. Sequentes tres particulæ jam expositæ sunt diss. 1. art. 1. addidi vero hic majoris expressionis gratiâ Dei ut summi & infiniti Boni, ut significarem objectum primarium, quod est Deus ut in se bonus, & non ut nobis bonus.

2. Nec forte hic doctus Ascetaingerat, in mysticis Doctoribus alias contemplationis definitiones, ab hac prorsus diversas legi: Author enim libri de

D spiritu

74 Diff. III. De Contemplatione.

spiritu & anima, qui alias tributus est  
S. Augustino cap. 32. definit, quod  
sit perspicua veritatis iucunda admiratio. S.  
Bernardus apud divum Thomam 2. 2.  
q. 180. a. 3. in 3. argumento descri-  
bit contemplationem, quod sit admiratio  
majestatis. Guido Carthusiensis in  
Scala paradisi cap. 1. ait: *Contemplatio*  
*est mentis in Deum suspensa quadam eleva-*  
*tio, aeterna dulcedinis gaudia degustans,*  
*suo modo scilicet & imperfecte.* S. Bo-  
naventura contemplationem dicit *actum*  
*intellectus non impediti, gratia sanati, in*  
*aeterna spectacula directi, & admiratione*  
*suspensi.* Quam definitionem assumit  
& docte exponit Joannes à IESU Maria  
in sua Theologia mystica cap. 3. Ri-  
chardo contemplatio est libera mentis per-  
spicacia in sapientia spectacula cum admira-  
tione suspensa. Demum ut plures alias  
definitiones prætermittant, S. Thomas  
citato art. 3. eam definit *intuitum sim-*  
*plicis veritatis.*

3. Responderetur, quod omnes haec  
definitiones re non differant à nostra,  
sed pure vocibus. Nam quod istae di-  
cunt explicitè nostra exprimit confusè  
& implicitè. Non enim negamus,  
quoniam contemplatio sit admirans, per-  
spicua, perspicax, elevata, & suo  
modo clare intuens veritatem.

4. Nec

4. Nec obest, si urgeas: quod  
juxta nos contemplatio sit cognitio ob-  
scura: ergo non perspicua, intuens & clara.

5. Nam, velut alibi jam monui,  
nos non dicimus contemplationem ob-  
scuram eo sensu, quasi non foret prae-  
omnibus viae cognitionibus perspicua &  
clara, sed comparatè ad cognitionem  
beatam. Itaque contemplatio est per-  
spicacissima & lucidissima cognitio, &  
tamen est obscura, si conferatur ad cog-  
nitionem patria.

6. Sicut verò Theologiam mysti- Dividitur  
cam superius diss. I. art. I. divisimus in I. in vul-  
vulgarem & verè mysticam seu extra- garem:  
ordinariam, sic etiam hic contempla-  
tionem in eadem membra distrahimus.  
Contemplatio vulgaris est actus fidei &  
doni sapientiae vulgaris de Deo summo  
Bono; & haec est propria hominibus  
etiam imperfectis & in via purgante &  
illuminante constitutis. Nam hi etiam  
frequenter elicere student actus charita-  
tis, qui ex sua natura præviā fidei  
cognitionem supponunt. Mystica pro- Et mysti-  
priè est actus fidei & doni sapientiae cx- 641  
traordinarie & singulariter lucens & fer-  
vens de Deo summo Bono. Et haec per  
se communiter & stabiliter datur præcisè  
hominibus perfectis in virtute consumma-  
tis & in via uniente positis ac consti-

76 Diff. III. De Contemplatione.

tutis. Seu vulgaris est notitia altissima quidem de DEO ejusque Divina bonitate, sed nondum experimentalis; at verò contemplatio vere mystica est cognitio experimentalis de summi Boni præsentia supponens gustom voluntatis.

7. Deinde contemplatio à Mysticis in affirmantem & negantem consistit. Affirmans est, dum aliqua nomina Deo in nostra cogitatione tribuimus, eumque sapientissimum, optimum, perfectissimum, potentissimum affirmamus & nominamus. Negans est, dum omnia nomina de Deo negamus & nullum Deo tribuere audemus, quia est elevatus supra omne nomen, supra omnem cogitationem & conceptum. Unde à Mysticis Deus nominatur innominabilis seu *anonymus*, & non habens nomen; quia ejus infinità naturā & perfectione nullum est condignum. Deum quidem nominare possumus sapientissimum, pulcherrimum, altissimum, & hujusmodi; At verò hæc & similia omnia nomina sunt minora & inferiora, quam ut maximam & supremam De naturam & perfectionem condigne exprimant. Nam ecce Deus magnus, ut diciuntur in lib. Job. c. 36. v. 26. *vincens scientiam nostram*. Unde S. Thomas in p. quæst.

2. in affirmantem

Et negantem.

p. quæst. 13. art. 1. Deus potest nominari à nobis ex creaturis; non tamen ita quod nomen significans ipsum, exprimat Divinam essentiam, secundum quod est. Nulla ergo vox datur, quæ infinitam Dei NATURAM, & Deum, ut est re ipsa & in se, exprimere valet. Nam Deus, utidem S. Doctor ibidem ait ad 1. ea ratione dicitur non habere nomen, vel esse supra nominationem; quia essentia est supra id, quod de Deo intelligimus & voce significamus.

8. Anima ergo conspiciens Deum in omni perfectione, gloria, sanctitate infinitum & immensum, & proinde omni profusus menti humanæ & angelicæ a beatæ incomprehensibilem & omnæ species & creatæ mentis capacitatem infinite excedentem, oculum mentis sapienter omnibus phantasmati & speciebus intelligibilibus unitatis, trinitatis, sapientiae, bonitatis, Divinitatis & hujusmodi denudare festinat. Quia ipsa luce clarius intelligit, hæc omnia, quamvis præcessa videantur, Deum tamen non propriè exhibere; ideoque se in Divina caligine & perfecta Dei ignorantia constituit, & Deum ut supernaturalem in fide apprehendit.

9. De hac divisione notandum est ulterius 1. utramque hanc contempla-

## 78 Diff. III. De Contemplatione.

tionem Deum summum Bonum respicere tanquam objectum, sed diverso modo. Affirmans enim respicit ut *Omninymum*, negans ut *Anonymum*. Illa quascunque perfectiones & dotes reperit in universo, eas tribuit Conditoris, unde quia videret res creatas, pulchras, dulces, amabiles, fortes, gloriofas, splendidas, excellentes, virtuosas, generosas, sapientes, & aliis innumeris qualitatibus ornatas, mox assurgit in Deum earum Authorem, eumque nominat pulcherrimum, dulcissimum, amabilissimum, fortissimum, gloriofissimum, splendidissimum, excellentissimum, virtuosissimum, generosissimum, sapientissimum, & infinitis aliis perfectionibus ornatissimum. At vero Theologia negans veretur Deum talibus nominibus honorare, timens, ne inhonoraret. Quia nempe ex dono scientiae & fide clarissime penetrat, quod Deus suâ infinitâ *Naturâ* omne nomen quantumcunque excelsum, altum, sublime, mysticum, infinitis parasangis exceedat.

10. Notandum est 2dò. Quod contemplatio affirmans ordinariè præcedat negantem, & quod illa est perfectior, hoc etiam ista crescit in perfectione. Ratio est: quia quod perfectius

v. g.

Art. I. Quid & quotuplex sit? 79

v. g. naturam Divinam ejusque eminentiam penetro & capio, hoc asseverans  
tius eam ineffabilem & incomprehensibilem  
pronunciare valeo. Quod enim prius  
non bene cognosco, dicere non valeo;  
quod meum intellectum & captum ex-  
cedat: ergo affirmatio ordinariè prae-  
cedit negationem.

II. Notandum est 3tiò. Quod principium cognitionis negantis sit maximè  
fides, Hæc enim dictat, quod Deus  
sit Bonum supernaturale, quod unus  
in natura & trinus in personis, quod  
omne lumen naturale suâ eminentiâ tran-  
scendat. Unde, ut hæc perfectissima  
contemplatio exerceatur, non est opus  
subtili mente, sed viva fide, quæ nos  
faciat, Deum ut tale ineffabile Bonum  
& Superbonum apprehendere & judi-  
care. Ex quo fit, ut hæc cognitio sit  
pure asserens, non interens & unum ex  
alio deducens; licet fortè discursus ali-  
quis ordinariè supponatur, veletiam sœ-  
pè consequatur.

ARTICULUS II.

Alia Divisio.

I. UT natura contemplationis, mul-  
tum tenebrosa, amplius elu-  
cescat, necessum est hic alias divisiones

*Dividitur  
in specula-  
tricem*

*Et practi-  
cam.*

ponere, & respondentes ipsis difficultates mysticas exsolvere. Quare ulte-  
rius dividi potest ac debet contempla-  
tio in speculatricem & practicam. Il-  
la est actus fidei aut doni, quo Deus  
ut infinitum Bonum agnoscitur sine or-  
dine ad affectum & amorem. Ista est  
actus fidei & doni sapientiae, quo Deus  
ut infinitum Bonum cognoscitur cum  
respectu ad opus & actum charitatis :  
sive, quo Deus non tantum judicatur  
ut infinitum Bonum amabile, sed etiam  
ut infinitum Bonum hic & nunc aman-  
dum.

2. Notanda est divisio & maxi-  
mè notanda. Multi enim hic se deci-  
piunt, arbitrantes, quod in apice con-  
templationis existant, cùm tamen gra-  
dum vix teneant. Perfecta enim con-  
templatio non in eo stat, ut quis nos-  
sat & judicet Deum esse infinite Bonum  
n actu primo & amabilem in seipso,  
et in eo, ut quis judicet Deum hic  
& nunc propter se amandum, & amor  
opere judicium sequatur. Devotæ  
quædam animæ videntur exiguum, le-  
vem & vulgarem de Deo habere cog-  
nitionem, nempe speculatricem, non  
vero practicam & actuosam. Quia af-  
fectus illarum fervet, & vix obiter in-  
specta Dei Bonitate, statim eum iu-  
dicant

dicant super omnia diligendum, & ipso opere statim ferventissimè diligunt. Unde non vera sed fucata & nulla est contemplatio, quæ purè quiescit in speculatione, nisi exeat in opus, & voluntatem ad amorem charitatis determinet. Nam juxta omnes Mysticos contemplatio est affectuosa, ignita, accendens & in-  
tendens sua luce voluntatem, ut ex I. n. 2. dicitis à principio statim eluet.

3. Ex hac partitione etiam solvitur gravis & magna controversia, quæ inter Theologos mysticos & scholasticos versatur. Nempe utrū amor possit excedere contemplationem, & ille possit magis fervere, quam ista lucere? Mysticī enim videntur hoc dare comuniter, Scholastici ferē negare. Mihi videtur, quod ope hujus divisionis partes litigantes possint opportunè conciliari, distinguendo nempe & dicendo: quod amor possit excedere contemplationem, speculatricem, non vero practicam. Quod videtur experientiā demonstrari. Nam simplices animæ sed devotæ ac puræ Deum in immeum quasi plus diligunt, quam cognoscunt, cognitione speculatrii nempe, non auctem practicā & actuosā. Quia nempe Deus tantum & tam intense amat, quantum & quam intense amandus hic

82 Diss. III. De Contemplatione.

& nunc judicatur. Contemplatio ergo *practica* & amor semper comensurantur.

4. Nec ingeras: ego judico Deum longè vehementius amandum, quam amo; judico enim amore dignum infinito, utpote Bonum infinitum.

5. Nam respondetur, quod hoc judices modo pure speculatrici, non verò *practicō*; tantum enim amas practicē quantum practicē judicas amandum. Sed, inquis, obscura hæc sunt. Fateor, obscura hæc sunt, sed tamen prætereunda non fuerunt. Quia & doctioribus scribo. Interim ô devota anima, parum refert, num has speculationes intelligas vel nescias, modò bene diligas. In hac enim supercœlesti scientia non plus proficit, qui plus studet, sed qui plus diligit. Qui bene diligit, bene in Theologia mystica proficit, qui melius diligit, melius proficit, & qui optimè diligit, optimè proficit. Si ergo non vales, anima devota, bene capere lectionem de contemplatione, cura ut bene capias lectionem de dilectione. Sic enim manens in tua ignorantia, evades Magistra & Doctrrix in hac divina sapientia.

Dividitur  
in sapidam &  
insipidam.

6. Altera divisio contemplationis hic explicanda, est in sapidam & insipidam. Hæc est, quam cum gustu Deum ac

ac Divina contemplamur, illa est, quā id ipsum facimus, sed absque gustu. Forte mirabitur hanc distributionem Lecttor in Theologia mystica versatus, ut pote, quam hujus sapientiae periti ferē dissimulant ac prætermittunt; & Doctores mystici ferē tantum sapida contemplationis meminerunt, insipidam autem frequenter omittunt. Certum tamen mihi videtur, quod hæc partitio & bene & utiliter & ferē necessariò ponenda sit. Et cur hoc, ais? idè, quia Deus quibusdam animabus perfectis elargitur contemplationem duram, ac peram, acerbam, contrà verò aliis mollem, planam & amoenam. Quasdam animas Deus ad verticem contemplationis dicit viâ suavitatis & dulcedinis, alias viâ derelictionis & amaritudinis.

7. Nec forte dubium moveas, quod contemplatio sit per se & naturā sua affectuosa; consequenter & sapida. Et superius nos ipsi sœpè affirmamus, quod sit sapida & deliciosa notitia.

8. Nam concedo, quod sit affectuosa semper, nego tamen, quod sit semper sapida. Nulla enim est contemplatio, quæ non est amorosa & voluntatem ad opus charitatis non incitat: at verò salvatur adhuc conceptus & na-

tura ejus , licet non consequatur sapor . Nempe non datur contemplatio sine amore consequente , datur vero sine gadio & delectatione consequente . Deinde aliter quoque responderi potest & concedi , quod contemplatio quantum ad objectum semper sit gaudiosa & sapida : quia contemplator in summis etiam angustiis , gaudet , quod Deus sit , qui est . At vero non est semper sapida quoad subjectum , quia hoc purum gaudium saepè contemplator elicit sine ullo spiritu vel sensu gustu & sapore .

9. Nec instes amplius : contemplatio viæ imitatur contemplationem patriæ ; sed visio beata non tantum est amorosa sed etiam sapida & delitiosa , nec solùm in voluntate excitat amorem , sed etiam gaudium : consequenter idem asserendum erit de contemplatione viæ .

10. Nam respondeo , quod equidem nostra contemplatio imitetur , non tamen sequatur contemplationem beatam . Hoc sæculum non est locus semper gaudendi , sed flendi , sed dolandi . Unde nec Deus vult , ut nostra contemplatio hic semper sit gaudiosa . Quid enim ? an non Christus orans in monte Oliveti perfectissimè contemplatus est ? & tamen ejus contemplatio nequaquam fuit delitiosa , sed plena tædio , mœstiâ

tia & dolore. Non ergo solùm meditatio, nec præcisè oratio vocalis aut devotio, sed ipsa etiam contemplatio hujus viæ potest esse, & aliquando est, sine ullo gustu. Connectitur quidem cum amore & nunquam est sine illo, non verò cum delectatione, & aliquando est sine illa.

11. Interim concedo, eam ferè communiter esse delitiosam, nego tamen, quod semper & constanter. Ut enim in Scala paradisi Guidonis Carthusiensis c. 7. legitur: Paulisper secedit sponsus diu desideratus, citò elapsus. Subtrahit se tam à prædicta visione quam à dulcedine contemplationis: manet tamen præsens quantum ad gubernationem, quantum ad gloriam, quantum ad unionem. Item oportet hic inter contemplationem verè mysticam & ordinariam discernere, illa nunquam datur sine gustu, ista verò tunc, cum aliquis in statu privationis, uti nominant, verlatur.

12. Hæc divisio benè notanda est contemplatori, ne malum ferat iudicium, & hoc ipso nullam contemplationem judicet, quæ gustu caret. Sed quæris, quænam ergo contemplatio est melior & perfectior, quæ gustu caret, an illa, quæ gustu valet? Respondeo, perfectior contemplatio est, ubi per-

fectior amor est. Non ergo ex gustu, sed ex amore sumitur dignitas & nobilitas contemplationis. Sive ergo absit sive adsit gustus, parum refert, modò non absit amor, qui solus dat meritum pretium & præmium contemplationi.

## ARTICULUS III.

## Aliæ Divisiones.

*Dividitur  
1. in con-  
templati-  
onem ora-  
tionis &  
actionis.*

1. **C**ontemplatio ulterius dividi potest cum respectu ad functiones, sub quibus exercetur, in contemplationem orationis, cui vacamus sub oratione & operibus spiritualibus, & attentionis, cui vacamus sub operibus exterioris, v. g. sub discursu, comedione & hujusmodi. Non enim solum locus est contemplationi in actibus virtutis contemplantis, sed etiam agentis; quia sub omni actione raptim valet exerceri. Haec duæ contemplationes *intrinsecè*, ut patet, non distinguuntur, sed *extrinsecè* tantum & versus functiones, quas connotant. Illa dicitur etiam oratio quietis & affectionis.

*2. in pri-  
mariam.*

2. Cum respectu ad objectum, contemplatio iterum distrahi potest in primariam & secundariam. Illa est, quæ versatur circa Deum vel perfectiones

nes aut personas divinas. Huc reducitur contemplatio Christi, quia hic pater est Deus, licet in natura humana. Ista est, quae versatur circa alia objecta spiritualia, velut Sanctos, purgatorium, infernum, peccata, virtutes, beatitudinem. Circa quoslibet ergo fidei articulos potest non solum meditatio sed etiam contemplatio institui; & contrarium asserere videtur erroneum dogma Quietistarum, ut ex propositione 5. 10. & 11. infra producendis colligere datur.

3. Sed ait: haec objecta minora sunt, quam ut circa ea versetur contemplatio, quae, utsi altissima cogitatio, non occupatur, nisi circa altissima, quod est Deus.

4. Respondeo enim, quod primariò quidem respiciat solum Deum, non autem secundariò. Sicut ergo Beati in lumine gloriae & visionis beatæ primariò Deum aspiciunt, & secundariò creaturas; sic etiam contemplatores in lumine contemplationis & Creatorem & creaturam intelligunt. Verum tamen est, quod aliter homo imperfectus, aliter proiectus & contemplator v. g. infernum considerent: ille ut caveat peccata, ut salubrem timorem sibi incutiat; iste ut discat exinde divinam iustitiam,

*Et secundariam.*

stitiam, adorer, laudet &c. Omnia ergo, quæ meditantur ascetæ in via purgante & iluminante procedentes, etiam contemplatores attingunt, sed alio fine, nempe cum respectu ad Deum, & ad majorem Dei cognitionem & amorem.

3. Ordinariam & extraordinariam,

5. Cùm respectu ad causam, à qua procedit, rectè secatur contemplatio in ordinariam & generalem, & in extraordinariam & specialem. Quæ partitio ferè coincidit cum illa, quâ contemplationem distraximus in vulgarem & verè mysticam. Illa est, quæ procedit ex habitu fidei & sapientiæ cum gratia ordinaria: ista est, quæ sui causam respicit fidem & sapientiæ donum cum gratia singulari & extraordinaria & tactu mystico. Magna enim est differentia inter has duas contemplationes: nam hæc postrema est altior & ferventior, quam illa prior: hæc non cadit sub meritum vel ullam condignam præparationem, sed datur à Spiritu sancto illis animabus, quibus vult: illa cadit sub meritum & dispositionem, & non negatur animabus puris & sancte viventibus.

4. in brevem,

6. Cum respectu ad tempus alia est contemplatio, quæ durat brevi tempore & per modum aspirationis exercetur;

cetur; alia, quæ durat longo tempore, & quæ ad modum meditationis & orationis instituitur. Animæ squidem elevatae non tantum vacant contemplationi, dum orant, sed etiam, dum alia negotia tractant. Dum edunt, dum corpus reficiunt, dum animum relaxant, subito & raptim ad contemplationem se elevant. Interim gratia contemplationis sub oratione præprimis effulget, si nempe diu & longo tempore, v. g. horâ, Deo infinito Bono per mysticos affectus inhæreremus. Legimus Sanctos, integras dies, integras noctes, in contemplatione traduxisse; utinam nos imperfecti unam saltem hominem plenam!

7. Cum respectu ad præsentiam divinam, ad quam vel maximè respici riorem. debet, alia contemplatio dici potest interior, alia exterior. Illa est, qua Deum in me & in centro animæ præsentem credo & apprehendo: ista est, quæ Deum extra me ubique præsentem cogito & judico.

8. Apud mysticos commendatur præprimis modus cogitandi præsentiam divinam interior: anima contemplatrix in seipsa Deum querit & invenit, ubi eum fidei certitudine novit esse per sentiam, immensitatem, potentiam & om-

omnia sua attributa & relationes, & confidit esse per gratiam, per virtutes Theologicas & morales & dona Spiritus sancti. Anima ergo tali fide illuminata, & tali confidentia roborata cunctas vires suas colligit, ab omni exteriorum objectorum imaginatione & cogitatione abstrahit, easque intra seipsum revocat, & ad Deum ibi praesentem attendere jubet. Quod sit, ut in seipsa experietur dispositionem valde tranquillam, in & sub qua Dei praesentiam notat, & nescio quid coelestis operationis & suavitatis degustat. Hinc omnes suas cogitationes, omnes affectus, omnia interna colloquia, omnes motus ad eum, in intimis penetralibus modo ineffabili & summe amabili & delectabili praesentem, ordinat, eum in omnibus consulit, eum in omnibus respicit, & potius in & cum Deo, quam in mundo & cum hominibus vivit & conversatur.

*Et exteriorum.*

9. Sed tamen exterior divinæ praesentiæ modus nequaquam contemnendus est, sed à Theologo mystico etiam exercendus. Nam sicut Deus non tantum in nobis est, sed etiam extra nos & ubique; sic etiam non tantum debemus in nobis eum contemplari, sed etiam extra nos in qualibet re creata.

Unde

Unde anima contemplatrix quidquid vider , quidquid audit , quidquid gustat , quidquid sensu vel imaginatione vel etiam mente percipit , unà Deum percipit , & unà Deum attendit , qui omnibus rebus inest per essentiam , immensitatem , potentiam &c. Quò fit , ut bona & beneficia , quæ à creaturis qui buslibet seu mentis & sensu expertibus seu compotibus accipit , ea potius ut à Deo , quam ut à creaturis profecta agnoscat. Hinc ajunt Mystici , quod animæ verè mysticæ videatur nihil esse in mundo , quam Deus & ipsa , quia nempe in omnibus , quæ in hoc mundo sunt , Deum aspicit & intuetur.

10. Quare licet sub exercitio orationis & aliarum functionum spirituum , maxime locum habeat præsentia interior ; sub actionibus tamen indifferentibus & in vita agente videtur etiam locus dandus præsentiae exteriori : cuius ope fieri potest , ut externa agentes interius non dissipemur , sed intimè collecti permaneamus. Quomodo enim abstrahatur homo ille à Deo , qui in omnibus , quoctunque se vertit , Deum querit & invenit , & in ipsis creaturis potius Creatorem quam ipsas attendit ?

11. Sed quomodo , ais , fieri potest ,

test , ut in rebus visibilibus invisibilem Deum cogitemus ? Videtur hoc repugnantiam involvere. Sed non ita est : fides exsuperat omnem sensum : ergo potest in sensibilibus aspicere purum spiritum omnis sensus & corporis expertem , qui est Deus optimus maximus. Non ergo opus habent Mystici multa speculatione aut discursu vel abstractione mentis , vel animi contentione , dum Dei praesentiam cogitare volunt : simplici actu fidei rem totam perficiunt ; nec se urgent , nec sensus vel membra corporis aut cor vel appetitum sensibilem contorquent & violenter impellunt ; sed placida , leni & suavi operatione Deum ubique praesentem certissime & lucidissime , in caligine tamen fidei , apprehendunt , & vera charitate diligunt.

#### A R T I C U L U S   I V.

##### *Varia Nomina Contemplationis.*

*Appellatur* 1. **D**OCTORES mystici varia nomina & appellations tribuunt contemplationi , quæ , quia ad naturam ejus penitus cognoscendam & aestimationem conciliandam faciunt , hic expovere animus est.

2. Di-

2. Dicitur ergo 1. contemplatio *Otium*, *otium*; quia nempe anima, dum vacat contemplationi, vacat ab operibus Marthæ, vacat distractionibus, vacat passionibus, vacat omnibus operationibus mundanis, & unicè ac solum in Deo occupatur. *Vacate & videte*, monet Psaltes ps. 45. v. 11. *Quoniam ego sum Deus*. Id est, cessate prius ab omni opere mundo, & tunc videte in sancta contemplatione, *quoniam ego sum Deus*, qui unus cognoscendus & diligendus est. Deinde contemplatio dicitur *otium*, quia non est laboriosa, velut meditatio, sed placida, lenis, tranquilla & in motu sine commotione. Alias legimus Eccli. 33. v. 29. *multam malitiam docuit otioſtas*; at verò otium contemplationis non malitiam, sed virtutem, sed perfectionem, sed sanitatem docet. Est otium, quod simul est negotium negotiorum, & occupatio suprema, excellentissima, Deo gratissima, nobis utilissima.

3. 2dō dicitur *silentium*. Anima *Silentium*, enim contemplans nihil loquitur, cef-  
sant verba, & solus agit spiritus & au-  
dit, quid Deus ad cor loquatur. In vi-  
su confexxit Aquila Joannes Apoc. 8.  
v. 1. *Factum fuisse silentium in cœlo quasi  
mediâ hora*. Tale silentium etiam fit in  
terra

terra, dum anima se dat contemplationi. Evidem conversatur tunc anima cum DEO, eum alloquitur, sua vota pandit & desideria, amat, osculatur, complectitur &c. sed haec omnia fiunt in silentio, absque strepitu, absque tumultu.

*Solitudo.*

4. 3tiò dicitur *solitudo*. Contemplator enim solus est cum solo Deo, licet sit in medio mundo; quia in contemplatione ad nihil attendit, praeterquam ad Deum, Bonum suum unicum & supremam felicitatem. Unde dicit cum Propheta Ps. 54. v. 8. *Ecce elongavi fugiens*, id est, longè recessi & fugi, non quidem semper corpore, sed animo & spiritu ē toto mundo, & recessi in solitudinem cum uno Deo locuturus & negotium animæ tractatus. Et in hac solitudine non fui præcisè ad momentum vel ad breve tempus, sed mansi in ea diu longo tempore. De hac solitudine rectè dicitur: *ō beatà solitudo! ō sola beatitudo!* nam efficit verè beatum non quidem plenè sed imperfectè, quantum fert conditio hujus infelicis status. Omnis qui sapit, in hanc solitudinem se confert, ut ibi beatitudinem reperiatur, & potiatur.

*Quies.*

5. 4tiò. Dicitur *quies*. Contemplator enim Deo intellectu & affectu adhæ-

adhæret , aliud nihil desiderans, omnia  
alia contemnens & vilipendens. *Vola-*  
*bo , & requiescam.* Ps. 54. v. 7. Anima  
enim contemplatrix volat ad DEUM  
& pennis contemplationis se feliciter at-  
rollit ; sic autem sublata requiescit in  
sancto amore & dulci affectione & pos-  
sessione summi Boni. Requiritur ergo,  
ut ab hac terra avoletur tum mente tum  
amore tum recordatione ; quo facto in-  
cipit dulcis quies , post laborem volatus.

6. Dicitur *storo* somnus. Sicut enim *sommus*,  
in somno quieto quiescunt sensus tum  
externi, tum communis, tum corpus, &  
vacant à suis operationibus : sic etiam  
in somno contemplationis facultates  
inferiores obdormicunt , & sola mens  
& voluntas viget, vigilat Deo suo in-  
tentia & attenta. *Ego dormio , inquit*  
*sponsa Cant. 5. v. 2.* sed non tota, quia  
*cor meum vigilat.* Dormio sensibus ,  
sed agit vigilias animus. *Adjurat spon-*  
*sus in Canicis cap. 2. v. 7.* *Filias Jeru-*  
*salem per capreas cervosque camporum , ne*  
*fuscent , neque evigilare faciant dilectam ,*  
*tam suavi somno potitam.* Non enim  
debet facile interrumpi contemplatio ,  
nisi charitas vel obedientia vel alia pru-  
dens ratio id exposcant. O felicem  
sommum ! ô amicum ! ô desiderabi-  
lem ! ah DEUS per gratiam quam fiat,

96 Diff. III. De Contemplatione.

ut etiam sic in pace dormiam & requiescam! Ps. 4. v. 9.

Nox &  
dies,

7. Dicitur 6<sup>ta</sup>. Nox & dies sub diverso respectu. Nox quidem, quia nempe sub contemplatione occidunt omnes res terrenæ & omnes earum imagines & cogitationes. Dies vero, quia in mente contemplatoris mira lux, Deus nempe Sol justitiae oritur, in cuius aspectu mihi pascitur & recreatur. Alio etiam sensu dicitur Nox, quia nempe nostra contemplatio non in lumine gloriaræ sed caligine fidei peragitur, Deusque non in luce affirmationis sed in nocte negationis consideratur. Unde etiam

Ignoratio, contemplatio nominatur ignoratio seu mysterium ignorantis; quia in contemplatione fatemur, clareque perspicimus nos ignorare Deum, quis, quantus & qualis sit; & hinc etiam non audemus ei secundum nostram inscientiam & vilissimum modum cognoscendi, aliquod nomen imponere vel accommodare. Quid ergo facimus? incomprehensibile Bonum obstupescimus, & gaudemus, quod Deus nostram ignorantiam longissime & infinitè excedat.

Mors,  
8. Dicitur 7<sup>ma</sup>. Mors. Quia contemplator mortuus est mundo, & vivit in solo Deo. Mortui estis, verba sunt Apostoli Col. 3. v. 3. & vita vestra abscon-

scoundita est cum Christo in Deo. Velut Christus vivit & maximè vivit, sed torus in Deo & per Deum; quia omnes actiones ejus sunt divino-humanæ se theantricæ: sic etiam anima perfecta vivit & maximè vivit, sed vitâ spiritûs, vitâ divinâ, vitâ supernaturali, quâ continuò fertur in Deum. At verò mortua est quoad vitam humanam & mundanam, quæ non stat cum vita spirituali & divina. O beata mors, quæ assert vitam animæ, quæ facit ut in Deo vivamus vitam divinam!

9. Dicitur 8vò. Sepulchrum. Nam velut in isto reconditur corpus; sic etiam <sup>Sepul-</sup>  
in contemplatione divinitatis recondi-  
tur anima. Et velut corpus non sur-  
git de tumulo nisi virtute divina exci-  
teretur; sic etiam anima de tumulo con-  
templationis non surgit ad opera vitæ  
agentis, nisi excitetur & divinitus vo-  
cetur.

10. Demum appellatur terra melle Terra mel-  
& lacte fluens ob dulcedinem; extasis, le & lacte  
quia facit animam velut exire à seipsa, fluens &  
& ad Deum vadere; raptus, quia ra-  
pit à terrenis & infimis ad superna &  
Cœlestia; Manna, quod continet omnis  
saporis suavitatem; missio invisiibilis Fi-  
lli & Spiritus sancti, qui à Patre in nos-  
tras animas mittuntur, dum contem-  
platio-

platione & dilectione eas dignatur. Ut enim ait Christus Joan. 14. v. 21. Qui diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Tota ergo SS. Trinitas venit ad eum, qui diligit Deum; & consequenter etiam ad contemplatorem; quia contemplatio nunquam est sine dilectione magna. Lux, quia illuminat; ignis, quia inflamat; unio, quia unit Deo per intellectum & affectum; liquefactio, quia facit præ teneritudine amoris ceræ instar colliquefcere; dicitur vulneratio, quia vulnerat amore divino; languor ac deliquium ob eandem causam, quia nempe contemplatrix anima languorem & deliquium pati videtur ob maximam amoris vehementiam; controversio, quia avertit ab omni re crea- ta, & vertit ac convertit ad unum Deum; paradiſus, ob voluptates, quas ministrat; perfectio hominis, quia perficit torum hominem & inducit & auger perfectionem, nempe gratiam & charitatem; dicitur tandem cœlum, inchoata beatitudo & bonum maximum, quia hominem facit quasi Cœlitem, Beatum, & Optimum, & ad plenam ac æternam beatitudinem proximè disponit. Nimis durus est, qui hæc singularia & proorsus excellentissima nomina perpendens,

dens, ad bonum affectum, ad pium motum, & ad sanctum amorem & studium contemplationis non excitatur.

## ARTICULUS V.

### De causa contemplationis, præprimis tactu mystico.

1. Causa efficiens contemplationis nequit esse intellectus humanus ex Causa efficiens propriis & nudè consideratus. Oppositi sententia est hæretica. Nam mens humana potest quidem ex se & suis vi-ribus res naturales considerare, non vero supernaturales: potest elicere cognitionem Dei ut Authoris naturæ, non vero ut Authoris gratiæ & gloriæ & ut Boni infiniti supernaturalis. Ut ergo homo complectetur, necesse habet, ut per gratiam & dona supernaturalia elevetur, potensque reddatur ad actum hunc præcellentissimum eliciendum ac efficiendum.

2. Humanus tamen intellectus non est purum instrumentum in ordine ad contemplationem, sed concurrens est intellectus, ut causa remota ad eandem. Ita tenet sententia divi Thomæ, quam hic non vacat multis demonstrare, sed suppono.

100 *Diss. III. De Contemplatione.*

pono. Quid ergo, inquis, concurrit, ut causa efficiens proxima? Respondeo: habitus fidei & donum sapientiae. Ratio est: qui illud concurrit tanquam causa proxima, per quam redditur intellectus proxime sufficiens & expeditus, ut valeat elicere contemplationem; sed hoc sit per praedictos habitus. Nam fides nudè sumpta præstat, ut vulgariter & contemplatione vulgari Deum speculari possimus, donum vero sapientiae singulariter lucens, ut contemplatione verè mystica. Si enim cum habitu fidei concurrat donum sapientiae, tunc exurgit vera & solida contemplatio.

3. Sed fortè dubium movebit doc-  
tus lector , dicens : habitibus & fidei &  
doni sapientiae omnis justus prædictus  
est : ergo omnis justus habebit prox-  
imam virtutem eliciendi actum, omnium  
perfectissimum ex actibus viæ , nem-  
pe contemplationem. Quod plane vi-  
detur absurdum & proflus alienum à  
doctrina Mysticorum , qui animabus  
duntaxat perfectissimis virtutem prox-  
imam Deum ac Divina verè ac mysticè  
contemplandi attribuunt. Singularis  
est proflus margarita donum contem-  
plationis , quæ non obtingit, nisi ani-  
mabus devotis, sollicitè eam quæren-  
tibus ,

tibus, & omnia pro ipsa vendentibus  
ac relinquenteribus.

4. Respondeo ad hoc dubium ē  
scholis petitum, quod omnis quidem  
justus habeat suo modo virtutem pra-  
ximam contemplationis, sed non pro-  
ximè expeditam, sed multipliciter, pec-  
catis maximè venialibus, impeditam.  
Audiamus hic Theologum mysticum,  
Joannem à IESu Maria cap. 3. Theo-  
logiæ mysticæ, qui idem argumen-  
tum sibi objecit & taliter resolvit. For-  
tassis una ē potissimum hujus rei ( quod  
nempe omnes quidem justi habitibus &  
fidei & sapientiæ prædicti sint, rari ta-  
men evadant contemplatores ) causis  
est ea, quam cœpimus insinuare. Scili-  
cer non serio vitare leviores culpas & peren-  
nem cordis alere puritatem. Si enim haec  
exquireretur, in cordibus puris facile Di-  
vina cerneretur imago. Et superius: quod  
non ita enunciamus, ac si, qui dono con-  
templationis frequenter ditantur, veniales  
culpas nunquam incurvant. Incurrunt enim  
sed rarius quam alii, & non adeò sponte.  
Quin etiam studiosissimè illarum occasionses  
præcavent. Et cum ex fragilitate delinquant  
se quantocum expurgant: ut in cordis se-  
renitate Deum repræsentent, ejusque divi-  
nas similitudines, velut in aqua purissima  
lucentes inueni mereantur. Et in hunc mo-

dum, qui contemplationem affectat, cul-  
pas vitare ac præcavere debet.

*Et maxi-  
mè Deus  
pertac-  
tum my-  
sticum:*

5. Respondeo & dico ulterius, quod contemplationis causa effectrix præcipua sit Deus per tactum mysticum. Hic tactus mysticus est celebratissimus in Theologia mystica, & rectè dicitur ac est principium hujus cœlestis sapientiæ. Ne autem confusio in vocibus pariat confusionem in rebus, notandum est, alium esse tactum mysticum activum & ex parte Dei, vi cuius Deus animam & apicem mentis & maximè voluntatem tangit & sibi efficienter conjungit, alium esse tactum mysticum passivum, & formalem, vi cuius mens & voluntas à Deo mota & tacta Deo & Divinæ bonitati arctissimè & intimè copulatur. De illo tactu modò disputatur, ex cuius notitia pender cognitione istius. Quare hoc præsupposito & benè intellecto, facilius alia, quæ hic occurrent, etiam difficillima & abstrusissima, penetrantur. Miris encomiis hunc tactum extollunt Mystici, miris exponunt verbis, & talibus, quæ Theologiae mysticæ rudes potius obstupescunt, quam intelligunt. Quare omis-  
sis ferè illis methaphoricis locutionibus & celsissimis vocibus, quas Mystici adhibent, de tactu secundum solida Theo-  
logiæ

logiae scholasticæ principia taliter dis-  
curro, & dico, quod tactus mysticus Qui defi-  
nihil aliud sit, quam gratia actualis extra-  
nitur v  
ordinaria, quæ Deus mentem contempla-  
toris afficit & tangit, & ad eliciendam ex-  
traordinariam Dei summi Boni cognitionem  
illustrat.

6. Expono scholasticam hanc tac-  
tus mystici descriptionem. Dicitur 1. Et solidè  
quod fit gratia actualis, & consequen- exponi-  
ter juxta scholam divi Thomæ forma tur.  
transiens & transeunter impressa, non  
permanens, qualis est gratia sanctifi-  
cans, quæ nullatenus est tactus mysti-  
cus, sed ei supponitur ac prærequiri-  
tur. Dicitur 2dō. extraordinaria. Quia  
nempe ad opus extraordinarium, qua-  
le est omnis contemplatio verè mystica,  
non satis est generalis aliqua vulgaris  
& ordinaria gratia, sed requiritur spe-  
cialis, singularis & extraordinaria. Un-  
de hic tactus mysticus non cadit sub me-  
ritum; nullum enim opus est tam cel-  
sum, tam sublime, cui tanquam mer-  
ces aut præmium debeatur, vel in Scrip-  
turus promittatur. Et forte nec vale-  
mus ad eundem nos condignè præpara-  
re, licet possimus congruam aliquam dis-  
positionem puritate & sanctitate vitæ  
ponere & oratione impetrare. Dicitur  
3. Quia Deus &c. ut nempe denotetur

causa effectrix hujus mystici tactus, nempe Deus, qui eum nobis infundit sine nobis & nostra cooperatione; quia prævenit ac præcedit nostram operationem, eamque ut causa efficit ac infert. Contemplatio enim sequitur ex tactu mystico & ab ea procedit tanquam effectus à causa. Dicitur 4to mentem, ut indicetur subjectum proximum, in quo tactus primariò recipitur, nempe intellectus. Hic enim per se primò illustratur, & ad extraordinariam Deitatis notiam elevatur. Per cæteras voces tum differentia tactus mystici ab aliis gratiis actualibus, tum finis, tum effectus significantur. Solus enim tactus mysticus est talis gratia, ut ex illo vera & solida contemplatio, & extraordinaria primæ veritatis & Bonitatis notitia procedat.

7. Nec te conturbent hic extraordinariæ mysticorum expressiones & mira vocabula, dum contendunt, quòd tactus mysticus recipiatur *in fundo & centro animæ, in summitate spiritus, in apice & vertice mentis*, & consequenter non in ipsa mente & intellectu. Nam istis modis loquendi nihil aliud volunt exprimere, quam ipsam mentem, non ut operatur modo vulgari, sed ut se extendit ad operationem summam, nempe contemplationem.

plationem, quæ est apex & vertex omnium cognitionum.

8. Nec ulterius instes, quod tactus mysticus non solum lucem intellectui comunicet, sed etiam in voluntate ignem amoris accendat, & quandoque omnes vires sensibiles tum internas tum externas ad Deum elevet ac mirabiliter rapiat. Consequenter videtur dicendum, quod tactus iste non solum in mente, sed etiam in voluntate, & forte aliis etiam viribus recipi debeat.

9. Respondeatur ad hanc instantiam, quod tactus mysticus primariò afficiat mentem, secundariò autem etiam in alias potentias & maximè in voluntatem se diffundat. Exemplum habemus in ipsa contemplatione, quæ licet per se actus sit purè mentis, tamen non intra mentem se ita continet, quin suam virtutem & efficaciam in alias quoque vires & maximè in voluntatem diffundat. Tactus ergo hic mysticus ex sua natura est fortis, vehemens, efficax, & si non omnes vires hominis afficit, ad minus intellectum clarissimè illuminat & voluntatem potenter inflammat. Nec tamen voluntarium aut libertatem affert voluntati, sed potius auger; quia præstat, ut homo totis animis & omnibus potentiis, solitus ab omni mun-

166 Diff III. De Contemplatione.

dana cogitatione & affectione , liberiū erga Deum suum infinitum & unicū Bonum feratur.

10. Major itaque felicitas in praesenti vita homini non valet obtingere , quām si eum optimus Deus tactu hoc mystico dignetur. Ubi enim hic est , ibi mens lucet , Divinitatis arcana penetrat , recondita fidei mysteria perspicit , clara fere apparent , quæ prius obscura , tenebrosa videbantur. Ubi hic est , ibi voluntas ardet amore divino , non vulgari & communi , sed eminentiori & extraordinario. Ubi hic est , anima velut in paradiſo collocatur , & æternæ beatitudinis gaudia prægustat. Verbo , ubi hic est , datur Theologia mystica non tantum in habitu & actu primo , sed in opere & actu secundo ; datur vera mystica contemplatio cum omnibus suis bonis , quæ secum affert. Nam si datur causa in actu secundo influens , non potest non dari effectus , qui ipsum certissimè consequitur , & cum ea infallibiliter connegetur ; at verò sic se habent tactus mysticus & contemplatio verè mystica : consequenter illo dato & hæc datur. Quo verò sublimior , intensior , illuminator , ardenter est tactus mysticus ; hæc etiam sublimior , in-

tenu-

tensor, illuminator & ardentior exur-  
git contemplatio. Quare ô Deus,  
tange me, ah tange mentem meam hac  
gratiâ tuâ extraordinariâ! mereri hanc  
non possum, disponere ad hanc condig-  
nè me non possum, orare tamen & spera-  
re possum. Juravi verò & statui non de-  
sinere ab orando & sperando, donec  
ardentissimis votis meis benignè annua-  
tur.

## ARTICULUS VI.

## Paradigma Contemplationis.

1. NEquit condignè exprimi modus  
procedendi, qui servatur in con-  
templatione; quia omnem superat ca-  
lamum, omnem linguam, omnem cap-  
tum. Nihilominus conabor utcunque  
describere & velut adumbrare. Ani-  
ma ergo devota & sancta, præviè eli-  
cit contritionem de omnibus peccatis  
unquam commissis; quia Dei bonitas  
nullum patitur medium, ne unam qui-  
dem vanam seu inutilem cogitationem,  
aut verbum otiosum, vel aliud levissi-  
mum peccatum, quod non poenitentiâ  
deleatur. Subinde gratia contem-  
plandi flagitatur & certò speratur,  
genua ad orandum flectuntur. Postea  
convertit se anima ad Deum (quem

## 108 Diff. III. De Contemplatione.

credit in essentia animæ & apice mentis cum Patre, Filio, & Spiritu sancto & omnibus attributis & perfectionibus intimè præsentem ac velut in throno residentem ) & hoc vel simili modo viæ fidei actum exercet.

*clus fidei* 2. Credo, quod tu maximus & optimus Deus, unus in natura, trinus in personis, immensus, aternus, omnipotens, immutabilis, sanctus, verbo, ineffabile & infinitum Bonum, præsens in summitate spiritus, in meipso, in anima mea essentia consistas, pronus & promptus tecum familiariter agere, conversari, me tibi unire & adstringere &c. quare confidens de tua gratia. Ecce ego vermis & non homo, venio ad te, o majestas infinita, o circumscripta bonitas, o Ens entium & abyssus omnis perfectionis, ut te laudem, adorem, amem, te amplectar, tibique amoris vinculo conjungar.

3. Si anima modo prædicto divinam præsentiam apprehendit, mox in affectus consurgit, & mysticè exardescit. Considerans enim quis Deus? & quæ ipsa? se profundissimè humiliat, & Deum ferventissimè amat. Unde tallem vel similem charitatis actum elicet, & ad Deum intimè præsentem dirigit. Ubi tamen observo, quod actus charitatis nequaquam desinat vel deprimatur,

matur, si ad Christum seu Deum-Ho-  
minem ordinetur; quia ad continuam  
puræ divinitatis contemplationem nul-  
lus debet se elevare, nisi debitè invi-  
tatus.

4. O Deus infinita majestatis, om̄is Actus cha-  
nes gentes quasi non sint, sic sunt coram te. ritatis.  
Quis ego? quis tu? ego nihil, tu omnia;  
ego sum dignus omni contemptu, vilipen-  
sione, odio, Tu dignus es & infinitè dignus  
omni honore, estimatione & amore; ego  
sum malus, in malum pronus, Tu bonus  
& ô! quantum bonus! Bonus es ineffabili-  
ter, infinitè. Capere non possum, credere  
possum, & credo, Te esse Bonum immen-  
sum, incomprehensibile, supernaturale. O  
ENS! O BONUM! ô Bonum admirabile!  
hæreo absconditus, obrigesco, dum  
tuæ Natura eminentiam contempler. O A-  
nonymus Deus, Christus JESUS, condignum  
nomen tibi dare non possum, ô incompre-  
hensibilis DEUS, condigno conceptu te ex-  
primere non valeo: Tu enim infinitè altior  
es omni nomine, omni cogitatione, quod  
ex tuo lumine in obscuro fidei lumine ni-  
mis evidenter cognosco, Et heu tantum &  
tam immensum Bonum non amavi! sed  
nunc amo ex toto corde, ex tota anima,  
ex tota virtute, ex omnibus viribus meis.  
Amo te, Deus, mihique complaceo, quod  
sis Bonum infinitum modo incomprehensi-

110 Diss. III. De Contemplatione.

li unum in natura , & in personis trinum,  
anonymum , ineffabile , supernaturale. Amo  
te & iterum amo & millies ac millies amo  
te amore estimationis , affectionis & es-  
fectionis.

5. Sic absoluta est contemplatio,  
sed ais, brevis est. Omnino : verbis  
est brevis , sed grandis affectu, qui ver-  
bis cohiberi nequit. Aliter enim lon-  
gè agit Deus in anima verè mystica ,  
quām voces sonant. Non sunt voces  
tam excelsæ , tam eminentes, quæ cel-  
stitudinem ac eminentiam veræ contem-  
plationis sufficienter & condigne expo-  
nant. Interim verum est , quod contem-  
platio etiam affectu brevis sit: non enim  
multi conglomerantur affectus , sed to-  
ta duobus perficitur & compleetur: nem-  
pe fide & charitate , seu cognitione &  
dilectione.

6. Ex quo colligitur imò. Quod  
**Oratio af-**  
**fectus**  
**constat**  
oratio affectus seu quietis per se duobus  
rantum punctis constet , nempe actu  
fidei de summo Bono intimè præsente  
& actu charitatis. Non enim in con-  
templatione , quatenus tali , formatur  
discursus , nec motiva ad concitandum  
affectum investigantur , nec sit aliqua  
reflexio aut examen , quomodo in ope-  
ribus fidei & charitatis nos gesserimus,  
aut modo geramus , aut deinceps gere-

re debeamus, sed purè actibus fidei & charitatis directè eliciendis omne tempus orationum deputati insumimus. Nam prædicta omnia pertinent ad meditationem, non ad contemplationem,

7. Colligitur z dò. quòd contem- *Actu fidei*  
platio non sit tam difficultis captu & ex- *chari-*  
plicatu, velut aliqui sibi imaginantur. *tatis.*  
Quis enim in ascesi, quis in Catholica Religione tam rudis est, ut nesciat, quid sit actus fidei & charitatis? At vero oratio affectus & contemplationis aliud nihil est, ut hic exposui. Nam licet actus aliarum, imò omnium virtutum interveniant sub contemplatione; isti tamen duo solum expressè attenduntur & eliciuntur, reliqui procedunt à charitate ut imperante. Errant proinde qui, nescio, quid exoticum, quid obscurum, quid absurdum sub nomine contemplationis sibi fingunt. Dico ac iterum repero, aliud nihil est, quam actus fidei & charitatis.

8. Sed dices: omnes Mystici ut magnum quid & altum & reconditum habent contemplationem, quæ scilicet non cadit sub intellectum cuiuslibet hominis imperfecti, sed perfecti & verè illuminati.

9. Respondeo: sic est omnino, res est altissima, recondita, & verè mystica,

stica , contemplatio & oratio affectus ; sed nunquid actus fidei illustratus dono sapientiae , & actus charitatis extraordinariè fervens non sunt res sublimissimae ? fallitur , qui aliquid eminentius fingit , quam sint hi duo actus . Ex quo

*extraordi-*  
*nario ,*

*Supponens*

10. Colligitur 3tò. Quod contemplatio orationis non sit qualiscunque actus fidei , sed extraordinarius , singulariter eminentis , procedens ex illustratione doni sapientiae ; item non est actus charitatis quicunque , sed vehementis , ebulliens , & ex singulari fidei lumine progrediens . Et , quod maxime notandum & observandum est , uterque hic actus supponit tactum mysticum explicatum , à quo tanquam causa dependet , & præcipue nominatur . Nisi enim hic detur , contemplatio erit purè vulgaris , nec est , nec appellari debet vere mystica .

11. Colligitur 4tò. quod non à nobis & nostra industria vel arbitrio dependeat facere orationem verè mysticam , sed hoc pertineat ad solum Deum , cuius est tactum mysticum tribuere vel renuere , sicut etiam aliquando tribuit , aliquando renuit .

12. Colligitur 5. quod homo , qui in virtute magnos jam progressus fecit , pos-

possit pro suo arbitrio & voluntate (supposicā ordinariā Dei gratiā) contemplationem vulgarem & orationem affectuosa instituere. Ratio est: quia homo prædictus habitu fidei & charitatis, si gratiā actuali preveniatur, habet potentiam expeditam ad actus fidei & charitatis; sed in hujusmodi actibus consistit vulgaris contemplatio & oratio communiter affectuosa, ut ostendimus.

13. Valemus ergo, modò velimus, contemplari. Non deest gratia ad ordinariam contemplationem, sed nos desumus gratiæ nostrâ negligentia. Multæ profectò animæ devoutæ satius facerent, si multos discursus sub meditatione prætermitterent, & contemplationi & orationi purè affectuosæ se dederent. Aliquando multis annis labrant, & plurimos libros meditando absolvunt; & ramen fide non admodum vigint, nec spe roborantur, nec multum amore fervent. Et cur hoc? quia scilicet omittunt omissâ multâ meditatione se dare soli affectioni. De vitiis, de virtutibus, de Christi vita & passione, & aliis fidei mysteriis tum assidue lectione, tum frequenti auditio ne Verbi divini, tum quotidiana ferè meditatione, plurimam jam possident notitiam, & nihil eis deest, nisi affectio.

114 *Diss. III. De Contemplatione.*

tio. Ut quid ergo indagant ulterius veritatem, & non potius le dant totos affectibus prætermissa superflua & inutili pervestigatione? Intellectus jam bene formatus est, sed voluntas languens ergo hæc excitanda, incitanda, inflammada. Næ tales sibi nocent ipsis, quia purè contemplando & affectibus insistendo maximè proficerent, qui stando in meditatione vix aliquid proficiunt.

14. Longè ergo utilior & sine comparatione efficacior & fructuosior est contemplatio & oratio affectionis, quam meditatio. Paucis septimanis in ea plus efficitur, quam pluribus annis in ista. Quod docent communiter Magistri humani Theologiae & Alcefeos & SS. Patres. E quibus S. Bonaventura lib. de Theologia mystica cap. ult. ait: *Si quis per viam purgativam bñd præparatus sapientissimè hoc dictum corde frequentaret. O Domine, quando te diligam? quando te constringam? citius se sciret experimentaliter inflammari, quam si de secretissimis Cœlestibus, & æterna generatione vel processione nullies cogitaret.* Non enim speculatio & nuda cogitatio sed operatio & affectio purgat à viriis, ornat virtutibus, passiones temperat, pacem conciliat, charitatem incendit, meritum auget, & perfectionem inducit. AR-

## ARTICULUS VII.

Ulterius declaratur processus contemplationis.

1. **Q**uia in processu contemplationis ferè pendet omnis difficultas Theologiae mysticæ & orationis affectionis, operæ pretium est, ut hic amplius declaretur. Non enim satis est obiter ista attingere & considerare, sed debent penitus intelligi ac perspici, ut possimus ad contemplationem incumbere.

Quare ulterius sciendum & notandum est imò. quod præparatio remota ad contemplationem sit vita sancta à virtutis purgata, virtutibus ornata, ut ex prædicatis constat. Proxima est contritio, humilitas, & petitio gratiæ, ut similiter ex art. præcedenti liquet.

<sup>1. Præparatio remota</sup>

<sup>Et proxima</sup>

<sup>ma.</sup>

2. Sciendum est 2dò. quòd in contemplatione debeat proponi & credi Dei ut Bonum supernaturale, ut Bonum supernum anonymous, ut Bonum infinitum, summè admirabile, ut solo lumen fidei non autem rationis naturalis, intelligibile. Item quidquid de Deo concipitur & prædicatur, non debet simpliciter & absolute concipi & prædicti, sed semper modo altissimo, incom-

<sup>pre-</sup>

116 Diff. III. De Contemplatione.

prehensibili. Unde in contemplatione non intelligi debet ut bonus, fortis, immortalis, sapiens, pulcher &c. sed ut superbonus, supersfortis, superimmortalis, supersapiens, superpulcher, & sic deinceps. Nam sic fiet, ut nostra de Deo cognitio sit supernaturalis, negans & vere mystica.

*Nobis præsentissimi,* 3. Sed Bonum supernatural & anonymum debet credi in contemplatione, maximè orationis, ut in anima nostra intimum & præsentissimum. Ni si enim viva fide Dei in nobis præsencia apprehendatur, non erit tanta communicatio, amicitia, unio, inhæsio, familiaritas &c. animæ ad Deum, & consequenter languebit amor & affectio.

*Et incorporei.* 4. Credimus autem sub contemplatione Deum præsentem non modò corporeo, sed incorporeo, ut purum spiritum ab omni materia remotum. Quantum enim fieri potest imagines & species sensibiles hic debent removeri, & non dari locus imaginationi nec etiam tationi naturali, sed unicè fidei. Monet hic etiam sapienter Blosius in asceticis institutionibus cap. 12. n. 2. contemplatorem, ut introvertat se simpliciter, oculum intellectus diligenter & placide exercens, nempe per actum fidei dono sapientiae illustratum, quæ debet proximè

ximè influere, & divinam præsentiam animæ contemplanti exhibere ac proponere. Illa etiam vox placidè notetur. Nam hic actus fidei non debet esse impetuosus & violentus, sed placidè ac leniter sine virium sensibilium aut corporis incitatione aut contentionē.

5. Ex præsentia Dei sic credita qua- 3. *Humilitas.*  
si naturale est, sequi humilitatem. Co-  
gitans enim anima, quis sit ille, qui  
sibi præsens est, & quid ipsa, cui præ-  
sens est, non potest non se in abyssum  
sui nihili, suæ vilitatis, impuritatis,  
turpitudinis &c. demergere. Quis sum  
ego, exclamat, ut Deus veniat ad me?  
ut in me maneat? ut suam amicitiam &  
familiaritatem mihi offerat? ut se mihi strin-  
gendam præbeat? ab recede à me Domi-  
ne, quia homo peccator sum. Tu summa  
puritas & sanctitas, ego immunditia &  
peccatum; tu omnia, ego nihil, tu Deus,  
ego vermis, pulvis &c.!

6. Ex humilitate sequitur vel po- 4. *Admirationis ratio.*  
tiùs in ea jam clauditur admiratio. Quid  
enim admirabilius cogitari aut fingi po-  
test, quam quod maximus & nobilissi-  
mus Deus veniat ad infimam & vilissi-  
mam creaturam, Deusque pater verè  
mittat Filium & uterque Spiritum san-  
ctum in animam, ut ibi omnes tres  
Personæ maneant, habitent, ei blan-  
dian-

118 Diff. III. De Contemplatione.

diantur , uniantur , & spirituale matrimonium celebrent ? Nam Deus *charitas* est , & qui manet in *charitate* , in Deo manet , & Deus in eo . 1. Joan. 4. v. 16. Qui hic non hæret attonitus , non considerat , quid sit Deus ? quid sit homo ? quid sit Deum cum homine familiariter loqui & amicitiam inire .

5. Actus  
amoris

7. Sed quid ? nunquid erit anima humana tam inhumana , cruda & agrestis , ut Dei alloquium recuset , ejus familiaritatem & amicitiam respuat , eum ut sponsum nolit ac repudiet ? absit . Maximæ & velut infinitæ gratiæ ( sicut revera est ) sibi dicit , quod maximus & infinitus Deus se turpissimam sponsam osculari , amplecti & alios favores & amores , qui in Canticis describuntur , exhibere velit . Quid ergo facit anima in hoc statu posita ? Quod sponsa terrena sposo præsentanda & sponsanda . Hæc enim curat , ut pulchra sit , & nulla in ea macula apparet ; capillos , oculos , frontem , verba , & omnes actus ac gestus corporis taliter disponit , ut placeat ; ornat se pretiosissimis vestibus ; verbo , nihil prætermittit , quod ipsi facere videtur , ut amœnior & gratior sponso evadat .

8. Idipsum ergo agit anima sponsanda Deo . Nihil non facit , & omnia

nia facit, ut Deo placeat. Omnia facit propter Deum, & nihil propter se. Et hinc in actus ferventissimos & pustissimos charitatis cum elicitos tum imperatos ebullit. Amo te Deus, inquit, <sup>Eliciti</sup> amore benevolentia; quia complaceo mihi & gaudeo, quod tu sis immensum & transcendens Bonum. Amo amore amicitia non propter meum commodum, sed unicè propter te. Amo amore estimationis & appretiationis, quia te super omnia estimo, & pra te omnia contemno. Amo te amore gratulationis, laudis, admirationis, desiderii, gaudii &c. quia tuam infinitam beatitudinem tibi gratulor, laudo, admiror &c. Et impetrans sum effectu meum amorem demonstrare. Nam deinceps nihil cogitabo, nihil amabo, nihil memorabo, nihil imaginarior, nihil affectabo &c. nisi te & propter te. Studebo manere tibi unita tota die, & sub omni actione te compieendi sancta contemplatione & dilectione. Curabo, ut vivam & converser tecum, etiam cum vivo in mundo & versor inter homines. Oblivioni detur dextera mea & lingua adhaereat saucibus meis, si non meminero tui sapientie & frequenter sub meis functionibus. Quomodo enim oblitiscar tui, qui mei nunquam oblidisceris, & non tantum lateris continuus adhaeres, sed etiam in anima mea

120 Diff. III. De Contemplatione;

intus resedes, me dirigis, moves, provides, illustras, inspiras, blandiris, diligis, amplecteris & omnia familiaritatis & amicitiae officia prabes?

6. Affectus  
amoris.

9. Dum verò anima contemplatrix his amoris affectibus incumbit, oritur in ea gaudium quoddam purum in Spiritu sancto, & pax, quæ omnem sensum superat. Item unit se Dilecto, adhæret, inhæret, præ amore vulneratur, læditur, languescit, instar cœræ liqueficit, inebriatur, jubilat, lachrymatur præ dulcedine, clamat præ gaudio, consumitur præ nimio ferve re charitatis. O qualis & quanta felicitas sic Deum contemplati & in ejus bonitate inebriari!

7. Actus  
spei.

10. Actibus tum fidei tum charitatis immiscentur tum alii actus virtutum, tum & maximè actus spei, quā sit, ut confidamus nos esse in gratia, nos elicere veros actus supernaturales, & ut actus functiones & effectus, quos percipimus, adscribamus divinæ gratiæ & illuminationi. Nam licet nullum gustum sentiamus, nec ullam satisfactiō nem in actibus eliciendis sub contemplatione; nihilominus supponere & sperare debemus, quod ex divina gratia veram contemplationem saltem vulgarem instituamus. Abesse ergo debet omnis

omnis diffidentia , omnis pusillanimitas , omnis timor , & directè saltem supponere & sperare , quòd nostra de præsentia divina fides , nosterque amor sit Deo gratus , supernaturalis , veréque nos infinito Bono conjugat.

## ARTICULUS VIII.

### Breves affectus mystici.

1. **Q**ui orationem quietis seu contemplationem puræ affectionis incipiunt , sentiunt difficultatem in eliciendis & maximè continuandis affectibus puri amoris. Nam ipsis arduum videtur in uno actu charitatis ad horam & ulcerius persistere , sed usu & consuetudine tollitur difficultas. Cœterum nolui , ut contemplator se ad aliquos affectus vel aliquod exercitium alligeret contra instinctum Spiritus sancti , cui in omnibus præ omnibus regulis ac documentis parendum est. Amet modò , parum interest , quomodo aut quibus mediis ad amorem perveniat & confurgat. Incipientes aliqui contemplatores tempore orationis alio libro non utuntur , quam divinâ Scripturâ ; alii meditationes , soliloquia , manuale , qui libri vulgo tribuuntur S. Augustino , in con-

F tem-

templatione adhibent; alii orationes S. Anselmi, vel considerationes S. Bernardi, vel contemplationes de amore sapientissimi Idiotæ, pro quotidiano usu assumunt, & ex iis suum affectum instaurant; alii, maximè doctiores, ex seipfis & verbis, à se per divinam gratiam conceptis, Deum amant, prædicant, laudant. Quidquid ex Deo fit, bene fit, qui ad eundem finem diversis viis perducit. Ego hīc breves pono affectus charitatis; ut verò evadant mystici, debent à contemplatore ad Deum intimè præsentem dirigi, Deūsque ut super-bonus & anonymus fide proponi. Equidem Deus Cœlum & terram implet sua immensitate, & ubique præsentissimus est; sed tamen in fundo seu essentia animæ & in mente & voluntate hominis singulariter, velut in templo, per gloriam sanctificantem, virtutes Theologicas & morales, & dona Spiritus S. præparato & condignè exornato, habitationem constituit, faciem ostendit, familiaritatem indulget, ad osculum & amplexum invitat.

2. Observandum est ergo, quod nec isti nec præcedentis articuli affectus sunt verè mystici, imò nec vulgariter, quia illud debet dare gratia Dei extraordinaria, istud gratia Dei ordinaria.

Qua-

Quare ut cum merito & utilitate hi affectus legantur & eliciantur, divina gratia concurrere debet, quæ & ferventissimè semper imploranda est.

3. Ubi tamen noto rursum diffidentiam, quæ solet vexare contemplatores, dum ingerit diabolus, contemplationem & affectionem esse vel purè naturalem, vel tepidam ob defectum sensibilis devotionis vel alias non genuinam. Hæc diffidentia pestis est contemplationis, displicet Deo & noxia est coelestibus illuminationibus. Qui proinde conatur Deum ut ineffabile Bonum credere & diligere, confidenter supponere debet, quod vulgarem contemplationem, Deo gratam, sibi utillem & verè supernaturalem exerceat. Quid enim? an non gratia in nova lege redundat? quid ergo causamur vel querimur parcitatem? aut fortè nequit affectus esse supernaturalis, si desit gustus vel omnino sensus? absit hoc; nam omnis contemplatio perficitur in mente, & secum trahit amorem in voluntate, non verò gustum seu gaudium, minus in appetitu inferiori & corpore sensum, qui est prorsus extra proprietatem, & effectus per se, contemplationis.

4. Tu Deus bonus es, & infini-

tè bonus, complaceo mihi in tua summa & plenissima bonitate: gaudeo de infinitis perfectionibus tuis: gratulor tibi divinitatem tuam, mirisque exulto modis, quòd nullius indigus, unus tibi sufficias, nec à creaturis felicitatem emendicare necessum habeas, ut pote te solo beatus, dives, felix, bonus, sapiens, potens, verbò Deus.

5. Amare est benè velle, & quia, Deus meus, amo te, volo & gratulor tibi, quòd sis Spiritus infinitus, immensus, sempiternus, elevatus super omnem perfectionem, excellentiam & magnitudinem à mente creata conceputibilem, elevatus super omnem substantiam, supra omnem potentiam, omnem sapientiam, omnem intellectum, omnem lucem, omnem pulchritudinem, omnem justitiam, omnem sanitatem, omnem gloriam, omnem beatitudinem, omnem bonitatem &c.; ita ut propriè nihil horum sis, sed infinite altior, sublimior, eminentior, &c.

6. Ad inflammandum amorem meum non opus est in cogitationes adducere, quòd creaveris me, quòd à peccato, à morte æterna vindicaveris me, quòd cœlum mihi condideris, & beatam vitam paraveris, & alia immu-

mera

mera beneficia in me congefferis. Omnia hæc & liberalissime Deus tibi retrahet, & unicum sensum, quo divinitatem tuam cognoscam, mihi relinque, & amabo te. Ad amandum enim te non tua sed tu unus impellis; decor tuus, bonitas tua & infinitæ perfectiones tuæ cogunt me, amare te; tu unus es primum & ultimum motivum amoris mei, Deus meus summum & infinitum Bonum meum.

7. Gaudeo, mihique complaceo de tuis infinitis perfectionibus; gratulator tibi, quod sis, qui es, summum nempe & infinitum Bonum; exulto totus, quod sis Deus, quem nullus locus capere, nullum tempus concludere, & nullus intellectus comprehendere valet. Gratulor tibi tantum super nos & super omnia imperium, dominationem & potestatem, qui es Deus, laudabilis & glorirosus & superexaltatus in secula.

8. O Deus meus infinitum Bonum meum amo te, & semper statuo amare te; amor tui tecum & manè surget, & vesperi decumbet; ille mihi oculos & ad vigilias aperiet, & ad quietem clauder: omnem laborem amore condiam, omnia agam, omnia patiar amore tui & propter te.

126 Diff. III. De Contemplatione.

9. Amo te Deus, sed heu frigide  
nimis! tu limpidissima flamma sacris ig-  
nibus vehementius me accende, ut ar-  
dentius te diligam. Alta siderum regia,  
quam places mihi, quod æternorum  
ignium es domus! o lucidae cœli fa-  
ces, quam delectant me ardores vestri!  
ah finite, ut aliquæ scintillæ à radiis  
vestris ad cor meum resiliant! o fulgi-  
dissima cœli lampas, & siderum Do-  
minus, ardens Titan, deriva ad me au-  
ratam & flammatam lucem tuam, in-  
unda me lumine tuo, & glaciale pec-  
toris mei frigus dissolve, meque totum  
divinæ charitatis flammis obrue & in-  
volve, &c.

10. Cognosco te Deus, quod sis  
summum & infinitum Bonum; & ideo  
amo te. Fac, ut cognoscam te illustrius  
o forma omnium formosissima, ut &  
amem te ardentius: fac, ut cognoscam  
te clarissime, o lux omnium lucidissi-  
ma, ut & amem te vehementissime:  
cognoscam te quantum potest capere in-  
tellectus meus, ut & amem te, quan-  
tum potest amplecti voluntas mea.

11. Nihil magni præstat, qui te  
solum in prosperis amat; summa laus  
est amoris, si inter malorum ventos &  
turbines conspicuam flammam retineat.  
Unde amo te & amabo, licet duris me  
rebus

rebus exerceas; amo te, licet odia mortaliū in me conjurent; licet furor amens, & livor impotens in me s̄eariant; licet adversa fortuna omnes vires suas in me exerat. Gaudet rebus inquis amor meus, & gloriae suae fastigium æstimat, pro te DEUS in malis vivere & mori.

12. O Deus ego amo te, & utiam omnes amarent te. Cupio enim, ut ab omnibus agnoscaris, & adores; desidero, ut honor tuus ubique crescat, augeatur, & in fastigium consurgat. Quodsi ad ejus augmentum facit, ut ego destruar, aut in nihilum abeam; en pereo & in antiquum chaos & nihilum promptus relabor.

13. O Deus te unum & solum super omnia diligo. Tu scis, quod amem te super argentum & aurum, supra delicias & voluptates, supra pulchritudinem hominum & Angelorum, supra regna & imperia, supra dignitates & titulos, supra gloriam & famam, supra scientiam & eruditionem, supra cœlum & terram, verbè supra omnia amo te, & millies supra omnia te amo, ô amabilissime ac optime Deus.

14. Quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontem lachrymarum, ut defleam, & lachrymarum imbre eluam

128 Diff. III. De contemplatione.

peccata mea ? ite gemitus, ite suspiria,  
resonate plānctus , quia Deum meum,  
summum Bonum meūm dereliqui , of-  
fendi , contempsi ! sed revertor ad te ,  
& infinitum bonum meum , & non  
modò affectu pari , atque in peccan-  
do sum usus , sed millies & millies  
ampliori, idque non solum tot vici-  
bus , quæ numerum flagitorum meo-  
rum adæquent , sed itidem millies &  
millies accumulatis te diligo. Novi  
amoris flamma non aliter absorbeat  
pristinum vitæ dedecus , quām ex Æth-  
næ visceribus effusus torrens , minimam  
roris stillam absumit. Amo te igitur  
affectu longè ferventiori, quām me à te  
alienavi , amo te , amo te.

15. Peccavi miser ! pœnitet me  
peccâsse & summopere doleo , non amo-  
re præmii justis promissi , quo sum in-  
dignus , nec timore pœnæ sceleratis  
infligendæ , qua sum dignissimus : cur  
ergo ? ideo , quia te Deum meum sum-  
mum bonum offendì. Sicut tu solus  
& unus es motivum diligendi , ita so-  
lus & unus es motivum dolendi. Plo-  
ra ergo anima in nocte peccatorum tuo-  
rum , & in lachrymis natent maxillæ  
tuæ , quia dereliquisti factorem tuum ,  
& fornicata es cum amatoribus multis ,  
&c.

16. A-

16. Amo te Deus, & ideo diuinæ voluntati tuæ me meaque omnia consigno. Vis me Benedictum in solitudine, vis me Antonium, ut inter leones & tigrides domicilium colloram? En pareo, & celer ad solitudinem & spelæa avolo. Vis me Jobum, in quem omnis afflictio velut ad scopum collimet? en sinum & totum corpus ad iectus præbeo, obrue me ferreis malorum sagittis. Vis me Paulum, qui gentibus tui nominis gloriam enumaret? en curro. Vis me Laurentium, qui in sartagine tanquam piscis torreatur? en vestem depono: quidquid jubes, cereus occurro, fac mecum sicut sis & vis, nam scio, quid amator sis.

17. O Deus summum & infinitum bonum meum, omnia alia deferō, ut te obtineam, ut te fruar; te solo, quamvis rerum aliarum inanis, sum dives satis. Omnia abjicio, ut te amplectar: omnibus morior, ut tibi vivam: nihil amo, ut te solum amem; tu enim unus mihi omnia.

18. Veritas dixit: Nemo bonus nisi Deus. Idipsum ratio convincit. Bonitas enim perfectionem comitatur, & quæ bona sunt, perfecta sunt, illa autem perfecta aestimantur, quibus nihil deest. Cum autem hominibus & An-

130 Diff. .III De Contemplatione.

gelis ( ut de aliis fileam ) plurima de-sint , imò punctum sit id , quod non habent , conficitur , illos nec perfectos nec bonos esse . Tu ergo & infinite omni ex parte Deus , tu solus perfectus , tu so-lus bonus es ; & ideo te solum ado-ro , te solum amplector , te solum uni-cè & super omnia diligo .

15. Actibus istis exercendis om-nis locus opportunus , omne tempus est accommodum . Ut ames , inquit Didacus Nyss. serm. 2. in Dom. 17. Non juberis maria nondum tentata trai-cere , & tempestato furente in mediis fluc-tibus sus déque jaectari , non itinera ingre-di feris infesta & latronibus , satis est , si annuat animus . Sacræ litteræ apposite : Mandatum hoc , quod ego præcipio tibi bodie , non supra te est , neque procul po-situm ; nec in cœlo situm , ut possis dicere : quis nostrum valet ad cœlum ascendere , ut deferat illud ad nos , & audiamus atque opere compleamus ? neque trans mare po-situm , ut causeris & dicas : quis ex no-bis poterit transfretare mare , & illud ad nos usque deferre ? &c. sed juxta te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo , ut facias illum . Ubi cunque es , ibi ama-re potes , nullus status , nulla conditio , nulla affl̄ctio , nulla felicitas impedit , quin amare queas . Amor , inquit Idio-

ta de div. amore c. I. Facilis est, omnibus se exhibet, nulli se negat, capit eum juvenis & senex, vir & mulier, sanus & infirmus, dives & pauper, summus & insimus, liber & servus, secularis & Religiosus, debilis & fortis, nec est, qui se valeat excusare. Cœlestis insuper gratia continuò pulsat, nosque torpentes ad diligendū excitat: nullam consequenter excusationem afferre possumus, quod minus Deo assiduum Charitatis divinæ sacrificium immolemus.

20. Quare mi Deus, sumimum & infinitum bonum meum, non equidem possum duris jejuniis me macerare, flagellis cädere, aut nudæ humo dormitus membra insternere; possum tamen amare te, & nimium quantum amo te. Non possum verbō tuō fideles pascere, & amplissimam concionem ab ore meo suspendere; nec possum vigiles noctes in oratione perducere, aut divinæ naturæ tuæ vel operum tuorum contemplationi perpetuò inhærere; possum tamen amare te, & nimium quantum amo te. Non possum nomen tuum portare coram gentibus & regibus, aut inter idola ferum naionum trophæum amoris erigere, nec possum pro augenda tua gloria strictis gladiis occurriere, aut telis

& hastis pectus offerre , aut vitam inter ardentes rogos profundere ; possum tamen te amare , & nimirum quantum amo te , & semper amplius & amplius conabor amare te .

## ARTICULUS IX.

*Affectus mystici longiores.*

1. PRimum affectum ex lib. 10. Confess. S. Aug. sumere placet , ubi cap. 6. Deum sic ardenti corde alloquitur. Non dubia sed certa conscientia , Domine , amo te. Percussisti cor meum verbo tuo , & amavi te. Sed & celum & terra & omnia , quae in eis sunt , ecce undique mihi dicunt , ut te amem : nec cessant dicere omnibus , ut sint inexcusabiles &c. Quid autem amo , cum te amo ? non speciem corporis , nec decus temporis ; nec candorom lucis , ecce ipsis amicum oculis ; non dulces melodias suavium cantilenarum omnimodarum ; non florum & unguentorum & aromatum suaveolentiam , non manna & melli , non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non haec amo , cum amo Deum meum ; & tamen amo quandam lucem & quandam vocem , & quandam amorem , & quem tam cibum & quandam ampliorem ; cum vero D. uram-

am, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, ubi fulget animæ meæ, quod non capit locus, & ubi sonat, quod non rapit tempus, & ubi olet, quod non spargit fatus, & ubi sapit, quod non minuit edacitas, & ubi haret, quod non divellit satietas. Hoc est quod amo, cum Deum meum amo, &c. &c.

2. O Deus ego amo te, & ideò amore, quia omni amore dignus es, quia Deus es. Nec iam amo te, quia te diligentibus æterna promittis præmia, & te non diligentibus æterna minaris supplicia, sed ideò, quia summum & infinitum bonum es. Nam et si cum vita animus occumberet, in vetus nihilum decideret, tamen amarem te; et si hic malis temporalibus me conficeres, & ibi malis ac poenis æternis me subjiceres, tamen amarem te. Non enim amo te, quia mihi bonus es, sed quia in te bonus es. Non amo pulchritudinem tuam, quia mirè pascit oculos meos. nec amo sapientiam tuam, quia mentem illustrat; nec amo æternitatem tuam, quia æternas delicias mihi præparat; nec amo supremam majestatem tuam, quia me in Regiam tuam Familiam adscribere promittit; nec amo potentiam tuam, quia tam splendidum & illustre cœ'i palatium habita-

tioni meæ ædificavit; nec amo clemenciam & liberalitatem tuam, quia ingentibus me præmiis cumulabit; nec amo divinitatem tuam, quia se videntem & diligendam in omne ævum tradit &c. Proinde amo te, & omnes perfectiones tuas, quia tibi bonæ sunt, non quia ex ipsis plurima bona mihi promanant. Tu solus & unus es amplissimum & unicum amoris mei argumentum.

3. O Deus, ego amo te super omnia, ô summum bonum. In te enim uno rerum omnium nobilitas, decor, gratia, splendor & eminentia accumulatur. In te, mi Deus, celorum puritas, stellarum nitor, solis fulgor, imbrum fœcunditas, horrorum gratia, florum pulchritudo, silvarum amœnitatis, camporum ubertas, picturarum elegantia, musicæ suavitas, gemmarum virtus, palatiorum splendor, Urbium majestas, templorum magnificencia, munitionum robur, exercituum potentia, conviviorum oblectatio, ludorum voluptas, amicitiarum jucunditas, fontium claritas, riparum viror, auri pretium, purpuræ decus, verbô, meritum, dignitas, amabilitas & bonitas rerum omnium. Quæcumque in cæteris sparsa sunt, collecta tenes,

nes, & ita tenes, non quô modô in illis effulgent, sed præstantiâ infinitis gradibus altiori; adeò, ut perfectiones tuas attollere per comparationem cum perfectionibus creatis, si res ipsa non animus & affectus perpendatur, si ironia vel irrisio, non laudatio dicenda. Nam ô Deus meus, si de Samsonne quodam enuntiarem, quòd formicam robore exsuperet, aut Davidem commendarem, quòd leporem magnitudine animi excedat, an non præcellentissimos Heroës calumniis impetrare aestimarer? at verò, tu Deus amplius longè supra creatureas earumque perfectiones attolleris, quàm supra formicam Samsonis robur, & supra leporem Davidis fortitudo emineat. Quem igitur amorem tibi ô Deus meus in corde meo accendam, qui universa rerum amabilium decora non duntaxat unus contines, sed infinito excedis intervallo? O amo te super omnia, rursus super omnia te amo. Quidquid amoris & affectûs omnes mortales in creaturis diligendis ponunt, illud omne in cor meum colligere, & sic amplius & amplius amare te cupio, Deus meus & omnia.

4. Eheu totus glacie rigesco, nec frigidum pectus amoris divini flammis  
exar-

exاردescit, infinita est bonitas tua: ergo & infinitus deberet ardere amor meus. At ego gelidam amoris favillam sub cinere mortalitatis meae nutrio. Moveret me omni oratione efficacius bonitas & pulchritudo tua: nam tu Deus origo es omnis pulchritudinis creatæ & fons pulchritudinis æternæ: tu oceanus es immensus bonitatis, cuius aquæ sine principio, cuius latitudo sine litore, cuius fundus sine fundo. Ah deficitio, solvor & undique me ferientibus tuae bonitatis splendoribus præ amore liqueesco; maximè cum æqualiter bonus sis & humanus: tu enim abyssus magnitudinis à me infimo & minimo terræ vermiculo, & maximo peccatore vis amari & lætaris amore meo, cupidè excipis & complectaris amantem te, & mutuò amas me; & ego non amem te optime juxta ac humanissime Deus? Si furiæ me lactassent, si serpentibus pastus forem, si ferro mihi præcordia vineta essent, fieri non posset, ut non amarem te. Sileo jam beneficia tua tam multa, ut numerus me fugiat, tam magna, estimationem superent; hoc unum modò emollit adamantineum cor meum, quod cum tanta bonitate æqualiter humanitatem conjungis, & gratum habes amorem meum. Amodo in tua pulchritudi-

christidine, forma, candore, & bonitate defixus hæreo ac demersus nato, tantumque me abripit supereminens, inæstimabilis, & undique infinita amabilitas tua, ut omni alio sensu, præterquam amoris, perduto, attonitus hac infinitudine tua, nihil aliud possim dicere, quam amo, amo, amo, quod & repeterem millies milliesque iterare cogor, &c. Et cum tantum te amem, tamen frigidè nimis te amo, quia bonditas tua infinitè superexcedit amorem meum. Quare ô limpidissima flamma Deus meus, amplius amplius succende me amore tuo. Utinam corpus meum lampas foret & sanguis oleum, & anima lychnus, qui igne amoris uiri accensus ad thronum Divinitatis tuæ æternum arderet! utinam anima mea foret alta rethymiamatis, & cor thymiamata, quod amore tuo inflammatum ardoris fumi virgulam attollat, & jugem suavissimi odoris venam in conspectu tuo evaporet! Ardeam Domine hodie, ardeam cras, nullumque feriatum diem amor meus habeat; & velut in quibusdam officinis nullo hebdomadæ die extinguitur ignis; sic & in corde meo ignis amoris tui sine ul a se a continuo tenore ardeat. Nam licet sic amore tuo arderem, adhuc frigidus esset amor meus.

meus. Vos ergo cœli incolæ vestris ar-  
doribus meos languores pensate. En-  
Deus meus, totius cœli stipatus amori-  
bus procumbo: quidquid immortalium  
flammarum in superna civitate tua col-  
lucet, illud omne tibi repræsento,  
tuisque ardere honoribus nimium quan-  
tum exulto; utinam æquali cum beatis  
igne erga te exardescerem! infirmæ cha-  
ritatis meæ malignæ lucentes ignicu-  
los cum amplissimis cœlestis curiæ fa-  
cibus jungo, & tepentes cordis mei  
scintillas cum Seraphicis beatarum men-  
tium incendiis permisceo, & amo te  
Deus, si non ut debedo, saltem ut va-  
leo. Verum nec hic amor adæquat bo-  
nitatem tuam, & longissimè minor est,  
quam ut Divinitatem exhaustat: finiti  
enim amoris ad infinitam amabilitatem  
non est proportio. Quare cum nulla  
creatura condigne te amet, exiguae amo-  
ris mei scintillas cum amore tuo infini-  
to, quo tu te ipsum amas, conjungo,  
& intimo affectu gaudeo, quod tu om-  
nem amoris nostri defectum suppleas;  
teque infinitum bonum amore infinito,  
& bonitatem tuam adæquante diligas.

5. Amo te Deus, & fortiter amo  
te, qui fortiter amasti me. Nolo ro-  
fas, cum spinas tuas cerno; in tuo san-  
guine flagella, clavi & lancea rubuère,

&amp;cgo

& ego non erubescam vitam vivere si-  
ne sanguine delicatam? Tu amor meus,  
cruci affixus inter acerbissima tormenta  
pependisti, & vitam per vulnera effu-  
disti; ego quoque vulnera sitio, non  
placet mors pallida in plumis excipien-  
da, opto, cruenta veniat, armata fer-  
ro & facibus, omnique in me tormen-  
torum genus expertura. Aut si hoc non  
placet, quotidianis saltem vulneribus me  
confice; feri quæ lubet, volentem per-  
cutis, non subtraho me ictibus. Amo  
te & amabo te vel in medio æstu omnia  
urentis fortunæ: conjiciar cum pueris  
Ananiâ, Azaria & Michaële in cami-  
num ardente ærumnarum & mecum  
una descendet divinus amor, & ambu-  
labo in mediis calamitatum flammis,  
lætusque cantabo: *Benedictus es Domine*  
*Deus Patrum nostrorum, & laudabilis & glo-*  
*riosus & superexaltatus in sacula, benedic-*  
*tum nomen gloria tua sanctum & laudabi-*  
*le & superexaltatum in omnibus faculis.*  
Sive cadant spes meæ, amo te, sive ten-  
tationes oppugnant me, amo te; sive  
tristitia me obruat, sive conscientia au-  
gat, sive paupertas premat, sive injuriis  
exerceat, sive contemptui exponat, si-  
ve calumniis objiciat, amo te. Ærum-  
næ amoris mei flamas non proster-  
nent, sed amor meus ærumnis tanquam  
flati-

flatibus excitatus amplius exardescet.  
 Nutritur & crescit rebus adversis amor.  
 Excipient me igitur casus improsperi,  
 occupent ægritudines, exhaustat fames,  
 quæcunque sœva & acerba in caput meum  
 assiliant: aquæ multæ aduersorum  
 fluctuum non extinguent, nec flumina  
 inundantium malorum ( te dante & ad-  
 juvante ) obruent charitatem meam;  
 amo enim te Deus summum bonum meum,  
 & fortiter amo te, & amabo te.

6. Amo te Deus, & gratias amo te.  
 Amabilis es mi Deus ob gratias, quas  
 mihi exhibes, sed amabilior ob gratias,  
 quas infinitas apud te concludis. Cha-  
 rita mihi sunt munera tua, sed charior est  
 mihi bonitas tua; quin si retraheres om-  
 nia bona tua, & me subjiceres omnibus  
 malis, amarem te; quia amor meus er-  
 ga te flamam concipit, non ob id, quod  
 ego sum ex tuo beneficio, sed ob id,  
 quod tu es ex natura tua. Non merce-  
 dem poscit, nec æra & stipendia no-  
 ster meretur amor, sed gratuitam mili-  
 tiam exercet. Quamvis tua in me flue-  
 re cessarent beneficia, non tamen ex-  
 inde amor meus aresceret, quia bonitas  
 & nobilitas & perfectio & excellencia  
 tua sunt fontes & origines amoris mei.  
 Non enim amo te propter me, sed pro-  
 pter te: perfectissima, absolutissima & in-  
 finita

finita bonitas tua , pulchrisque omnibus pulchrior pulchritudo tua unicum est & solum flabellum & irritamentum amoris mei. Amo te , quia perfectus es , quia pulcher es , quia bonus es. Forma & candor , & pulchritudo tua formosum illud ac nitidum amoris vulnus impresserunt cordi meo : bonitas & venustas tua nusquam læsa lædit me , quia nusquam vulnus habet , vulnerat me , quia nusquam languet , facit languorem , & quia nunquam emoritur , compellit me usque ad mortem amare te , & in amore mori propter te.

7. Licet clarè te videant & ardenter diligent beati Angeli & homines , id totum exile & quasi nihil est in comparatione magnitudinis tuæ. Ut cunque intellectus & voluntas dilatent sinus suos avido haustu divinitatem potaturæ , id totum non est aliud , quam piffitare , & minùs , quam culex ex vastissimo oceano stillam aquæ hauriat. Age prouin , age cor meum , inebria te , quantum potes , dulci pelago puleritudinis divinæ , nec metue , ut tibi aliquando copia desit. Acue & robora telum amoris tui , quo aurea gemmæque divinitatis fodina aperitur ; in longum tibi effosio ducenda erit , nec unquam non reperies novos thesauros , quos effodias.

dias. Ah imensum Numen, Deus meus, si non ego unus, sed omnes naturæ à te creatæ: immo si res omnes, quas omnipotentia tua creare ac producere potest, nulli alii negotio per totam æternitatem incumberent, quam ut intelligentiæ sarculo eruerent thesauros divinitatis ac pulchritudinis tuæ, unamque post aliam dotem erutam amarent, & nunquam ad priorem cognitione & amore recurrerent: nihilominus amorem magnus foret exiguis, quasi in te amando nihil eousque factum fuisset. Quidquid enim perfectionum & amabilitatum tuarum te amantes creature intellectu suo & amore attigissent, super id omne adhuc infinita alia decora & lumina remanerent, quæ nulla cognitio, nullus affectus libasset; nam tu Deus abyssus es gratiarum, quæ fundo caret, oceanus es pulchritudinis, qui nullas ripas habet. Frustra sumus & ego & res creatæ omnes, atque nequicquam nitimur, si amando te, cogitamus æquum pretium persolvere bonitati tuæ. Sicut nullus intellectus est nec esse potest, qui te cognoscat, quantum cognosci dignus es; sic nulla voluntas est, nec esse potest, quæ te amerit, quantum amari mereris, ô infinitum bonum, ô abyssus perfectionum, ô pelagus

lagus omnis felicitatis , ô omnem co-  
gitationem & amorem tanquam stillam  
roris absorbens divinitas. Omnis amor  
est inferior meritis tuis, nulla creata-  
rum rerum seu copia seu excellentia æ-  
quale pulchritudini tuæ homagium pen-  
dere valet. Despero igitur, despero,  
non valeo sufficienter amare te, in qua  
ipsa tamen desperatione amo te , & quia  
non possum amare te condigne , amo te  
saltem, quantum possum vehementissi-  
mè. Non placet amor mediocris, ad  
sumum enitor, cùm & sumus amor sit  
tua bonitate longissimè inferior ; to-  
tus ergo in amorem ruo , omnes vires  
exero & amo te quantum possum , cùm  
non possim amare te , quantum debedo.  
Cogis, non persuades amorem ( quod  
amantium affectu dico non errore li-  
bertatem evertentium ) cogit me ad  
amandum te supersubstantia tua , su-  
persapientia tua ; cogit superbonitas tua,  
superperfectio tua , cogit superclemen-  
tia , superliberalitas , superpulchritu-  
do , superaltitudo tua , quæ omnem  
conceptrum superant , omnem intellec-  
tum excedunt. Glorifico te quantumcum-  
que possum , tu verò supervales adhuc , &  
admirabilis magnificentia tua : benedico te ,  
exalto te quantum possum , major enim es  
omni laude , exaltans te repleor virtute , nec  
comprehendo.

8. Gratulor tibi Deus meus, quod  
sis, qui es. Tu Deus non habes esse  
limitatum, nec es tantum hæc vel illa  
res, sicut Angelus est tantum Angelus,  
& homo est tantum homo; sed totum  
esse in te complecteris, & ab æterno  
anticipas. Tota enim plenitudo essen-  
di, totaque entis latitudo & amplitu-  
do in te plenissimè continetur. Tuum  
esse, Deus, est æternum; tua enim vi-  
ta totam implet, adæquat, ambit,  
& complectitur æternitatem. Tuum  
esse est immurabile, quia omnia tua si-  
mul habes, & firmiter possides, ut ni-  
hil possis amittere, cum omnia habeas  
per tuam immutabilem essentiam, cui  
nulla potest fieri accessio, nulla dece-  
sio. O magne, o infinite, o omnipo-  
tens, o sapientissime, o pulcherrime,  
o sanctissime, o immense Deus, in quem  
nam ab ripior Majestatis & bonitatis oce-  
anum omni littore carentem, dum tuam  
contemplor essentiam? natura enim  
tua abyssus est gratiarum, quæ fundo-  
caret; mare est perfectionum, quod  
nulla habet litora: campus est excel-  
lentiarum, qui nullas habet oras. O  
quanta est sapientiae & scientiae tuæ al-  
titudo, quâ rerum infinitarum intelli-  
gentiam comprehensam habes, qua præ-  
senzia cognoscis. futura pervides, &  
omnia

Contemplatio  
ibi Deus mens  
Deus non habet  
cannum habet  
est tantum deus  
in honore; sed  
in honore, & ab e  
cum plenius ele  
laminando & ampli  
commissus. Tum  
nunquam; non est vi  
adversus, ambi,  
emittit. Tum  
e, quia omnia nul  
miser proles, ani  
cum omni idea  
eum elegerat, co  
efficio, nulla des  
induire, & omis  
ne, & pulchritudo  
Deus, in qua  
eum & bonitatem occ  
erent, dum nam  
a? nam, enim  
utrumque, que fund  
fectionum, quod  
campus est expl  
llarum haberet. O  
e & scientie ne al  
infinitum inell  
tam habet, qui pre  
arua perviles, &  
qua

omnia in clarissima luce intueris. Nihil te fugit: nihil tibi non apertum est: apud te consilium, apud te ratio, apud te cogitationes pulcherrimae & infinitae, & rerum omnium scientiae, & artificiorum inventa, & causarum & naturarum & innumerabilium mundorum cognitiones habitant. O quanta est potestas tua, qua electis, regis, moderaris cuncta, sicut fert arbitrium tuum: omnia à tua manu suspensa pendent, tu nostrum fatum, tu nostra fortuna es, tu absolutæ dominationis Deus es: tu quidquid intelligis, facere potes: tibi promptius est res efficere, quam nobis intelligere & fingere. Nam non opus est molitione, sed ad unum imperii tui nutum ex nihilo mundi advolant, & ante te provoluti suum Creatorem adorant. O quanta est beatitudo tua, quæ omnibus gaudiis tam exaggerata est, ut nihil addi, tam stabilis, ut nihil demi possit; tam tibi propria & innata, ut tuum vivere sit beatè vivere! O quanta est sanctitas tua, quæ te ab omni etiam levissimi vitii pulvisculo imunem præstat, & virtutum inexplicabili apparatus condecorat! quanta est magnitudo tua, quæ modum non capit! quanta libertas, quæ nullius imperio ligatur! quanta immensitas, quæ omne spatium

146 Diff. III. De Contemplatione.

excedit, quanta immortalitas, quæ nullo ævo carpitur! quantæ omnes perfectiones & attributa tua, quæ omnem intellectum superant; ô magne, ô infinite Deus! hæreo, stupeo, obrigesco, mens, sensus, & cogitatus deficit, dum in te sumo & infinito Bono contemplatione defigor. Gratulor ergo, iterumque gratulor tuum esse, tuam sapientiam, tuam majestatem, tuam aeternitatem, tuam potestatem, tuas infinitas, quas nulla lingua capere, nec ulla mens numerare valet, perfectiones, ô Deus meus, unum & sumum Bonum meum!

ARTICULUS X.

*Documenta hoc pertinentia.*

I. **D**ocumentum primum signum vocationis ad contemplationem & orationem affectionis habetur à peritis Theologiae asceticæ & mysticæ, si per medium v. g. horam quis valeat in actibus fidei & charitatis, tum elicitiis tum imperatis hic articulo tum sexto ad orationem declaratis, perdurare. Nec infectionis, geras, quod contemplatio nequeat iuxta Mysti-

De Contemplatione  
mortalium quod  
per quanta omnia  
ad tua, que sunt  
etiam; o magis; o  
hunc, hunc, obtem-  
per, & cognoscere deum,  
etiam de initio Boni un-  
deus. Gaudet ego  
quoniam non est, non  
namque, non  
nam possum, non  
nam nulla lingua oper-  
nam numerare vel, per-  
nam meus, undicim  
un.

ICULUS X

enam peritentia,  
enam primum agnum vo-  
ni ad contemplationem  
affectionis habent a po-  
gione, alacritate & myste-  
rii v. g. hominem qui vela-  
ti & charitatis, mundi-  
tatis hic articulo reflexo-  
no sicut etiam etiam &  
etiam perdurare. Nec  
contemplatio negatur  
v. d.

Mysticos tamdiu ordinariè durare. Nam respondeo, quòd possit per medium horam, & plures horas continuari; adhuc enim contemplatio nominatur, licet per intervalla brevissimis meditationibus interrumpatur. Per se tamen & ex instituto meditatio & discursus sub contemplatione non instituitur.

2. Sed ais: contingit, affectum sub contemplatione frigescere, quid ergo tunc factò opus? Respondeo, tunc non opus esse, ut ad meditationem laboriosè transeat: sed simplici actu fidei & spei melius, spiritualius & efficacius potest affectus rursum accendi. Licet autem hoc casu ferè comitetur vel subsequatur meditatio aliqua, per hanc tamen non dicimus ab oratione affectus decidere.

3. Documentum 2. Licet nobis 2. Conarduum sit & grave tamdiu in affectio-stantia. ne permanere; tamen non debet statim derelinqui contemplatio, & iterum meditatio apprehendi. Ratio est: quia omne initium grave. Usu enim contemplationis fides exercetur, spes corroboratur, & charitas inflamatur; & sic postea facile erit, quod ab initio difficile aut omnino impossibile visum est. Hoc tamen in sensu lano debet intelligi. Nam omnes Ascetæ docent, quòd

148 Diff. III. De Contemplatione.

etiam contemplator debeat aliquando ad meditationem descendere , non tamen communiter & ordinariè !

3. Affec-  
tio una.

4. Documentum 3. In contemplatione non multæ eliciuntur affectiones , sed una ferè vel altera continuatur per horam orationis. Hinc aliquando tempus integrum solis verbis, Deus, Deus, Deus, vel amo, amo, amo, vel ô ineffabile Bonum, vel qui non amat Dominum nostrum JESUM Christum, anathema sit , transigitur. Si quis amat, inquit aureus libellus lib. 3. cap. 5. novit , quid hæc vox clamat. Magnus clamor in auribus Dei est ipse ardens affectus animæ , quæ dicit: DEUS meus AMOR meus ! Et talis continuatio non fit cum aliqua corporis fatigatione & impulsione , velut contingit apud imperfectos & incipientes , sed cum leni & quieta motione. Unde monet venerabilis Blofius in asceticis institutionibus cap. 12. Theologiae mysticæ studiosum , ut violentum impulsum ac nisum prudenter vitet , ne prægravet naturam , & se nimium debilitet. Ebullire, effervescente debet amor , & anima amans præ nimia ejus vehementia languere , vulnerari , deliquium pati , ac fere emori ; hæc tamen omnia debent maximè fieri in apice mentis & voluntate , non autem in sensu & passione.

5. Do-

5. Documentum 4. In contemplatione non debemus esse nimium agentes, sed velut otiosi & nihil agentes. Quod assertum non sic intelligendum est, quasi verò in superiori homine & viribus spiritualibus debeamus nihil agere & ab actione desinere; hoc enim dogma est erroneum, à Quietistis confitum. Debemus itaque modum ponere actibus inferioris hominis & sensuum operationibus, nec permettere, ut nimium agant, vigeant, & suo vi-gore contemplationem potius impediant quam promoveant. In suprema regione hominis stat contemplatio non media vel infima: ergo curandum est, ut illa luceat & ferreat, quidquid sit de media & infima.

6. Documentum 5. Quia verò in supra-ma regione hominis duo sunt actas, tuis, nempe cognitio & dilectio, posterior ratio etiam habenda est istius quam illius. Ratio est: quia in hac per se meritum, dignitas & præmium consistit. Nam fides seu contemplatio est propter charitatem & amorem; si ergo hic ardet, res salva est, & ut hic semper ardeat, fide simplici & viva procurandum est.

7. Documentum 6. Notandi sunt 6. Defec-  
& emendandi pro modo gratiae, quam tu sex par-

150 Diff. III. De Contemplatione.

Deus confert, defectus, qui ex parte mentis eveniunt sub contemplatione. Quales sunt v. g. primus, languida & torpida fides de divina præsentia; item non viva fide apprehendere Deum ut Bonum inæstimabile, supernaturale & incomprehensibile; item non fixo ob tutu Deum unum aspicere, sed cogitatione dissipari. Contemplator autem optimè superabit distinctiones & spiritum colliget, si redeat ad Deum præsentem, à quo per evagationem recessit.

8. Alter defectus est, si velit quis esse certus de unione cum Deo, de actu charitatis &c. sperare debemus, scire non possumus, an simus in gratia, vel actus charitatis supernaturales eliciamus. Crede, spera, ama, & omnem depone anxietatem. Deo misericordissimo facis injuriam, si dubitas de gratia, charitate, aut vera contemplatione. Fac quod in te est, & Deus non deerit. Falluntur, qui putant se non verè contemplari vel amare Deum, nisi hos actus quasi sentiant. Altissimi sunt & ab omni sensu & materia remotissimi; & hinc male agunt, qui eos volunt quasi manibus palpare ac evidenter cognoscere. Reflectere se post contemplationem super habitam con tem-

temptationem bonum est, laudabile & aliquando necessarium, ut nempe sic defectus ac errores deprehendantur. At vero sub ipsa contemplatione se continuo reflectere, non laudandum est sed vituperandum. Contemplari enim est Deum cognoscere & diligere; & hinc tota mens ad ipsum cognoscendum vertenda est. Objectum contemplationis non est ipsa contemplatio sed Deus. Sub examine instituitur examen de contemplatione, non sub ipsa contemplatione.

9. Tertius defectus est, si quis alibi Deum querat, quam in se. Si quis velit Deum vel imaginari vel suo intellectu quasi comprehendere, nec contentus sit cognitione & lumine, quod habet de Deo. Item si quis timeat, ne, si oculos aperiat, excreat, vel alterius sensus operationem exerceat, statim contemplationem desperat. Non amittitur Deus in vita agente, si actio ex amore Dei procedat. Ubique Deus est, intra & extra, & ubique poteris invenire, modò rectè queras.

10. Quartus defectus est, putare & sibi imaginari, quod detur aliquis actus perfectior quam actus fidei illuminatae per donum sapientiae & actus charitatis. Ille pro statu viæ est perfectissimus.

• 152 Diff. III. De Contemplatione.

scimus actus mentis, iste voluntatis. Quod  
verò hos eliciat contemplator, debet piè  
sperare, licet aliud sensus dicter, & dia-  
bolus ingerat. Speramus de genuina  
contemplatione, non verò scimus es-  
se genuinam.

Et volun-  
tatis.

11. Documentum 7. Defectus quo-  
que, qui ex parte voluntatis accidentur,  
adverti ac corrigi debent. Quales sunt  
v. g. primus, si amor voluntatis sit ni-  
mis languidus. Secundus est, si qui-  
dem fervidus sit, sed fervore sensibili  
potius quam spirituali. Tertius si vo-  
luntas nimium se effundat in appetitum  
& sensus, eosque vehementer concitet  
ad amorem, velut in hac vehementia  
amor verè mysticus, qui tamen est spi-  
ritualissimus, poneretur. Quartus est,  
si contemplator inquietus sit, & cogni-  
tione ac amore, qui ipsi cœlitus datur,  
non contentus sit, sed continuo eundem  
intendere ac perficere incassum & con-  
tra voluntatem divinam præsentemque  
gratiā conetur. Perfectus contem-  
plator non vult perfectius contem-  
plari, quam velit Deus, quem in se ope-  
rantem laudat, magnificat & exultat,  
dicens cum Regina Theologiæ mysti-  
cæ & omnium Mysticorum & Mysti-  
carum Principe & Patrona: *Magnificat*  
*anima mea Dominum, & exultavit spiritus*  
*meus*

meus in Deo salutari meo. Luc. I. v.  
 46. Contemplator enim perinde laetatur in contemplatione dura & insipida quam deliciosa & sapida: quia motum laetitiae semper manet, quod unum & solum est Deo voluntas. Et sic patet, quod in omni contemplatione etiam insipida aliquod interveniat gaudium vel potius acquiescentia in Dei voluntate & ordinatione. Quod quidem gaudium non est sensibile, reflexum, humatum & ad satisfactionem amoris proprii, sed spirituale, directum, divinum & unicè propter Deum.

12. Septem hæc documenta ut oco-  
 to sunt notanda, & iterum iterumque  
 legenda & in usum perducenda. Sine  
 horum enim notitia & usu nequit so-  
 lidus in contemplatione progressus fieri;  
 his autem benè observatis speratur me-  
 titò grandis profectus.

13. Quadrant hæc documenta ( si  
 tertium excipias) eriam orationi voca-  
 li, eique debent à contemplatore ac-  
 comodari. Verus enim Theologus  
 mysticus etiam, dum vocaliter orat,  
 verè contemplatur. Pronuntiatio enim  
 non impedit contemplationem, sed  
 ex hac in vero contemplatore oritur ac  
 proficiscitur.

## ARTICULUS XI.

*Singularis instructio de Contemplatione insipida.*

*Contem-  
platio sit  
insipida. I.  
ob defec-  
tum gau-  
dii sensi-  
bilis ,*

*2. Spir-  
ituialis,*

1. **C**ontemplatio insipida suos habet gradus. Nam 1. Deus animæ contemplatrici subtrahit præcisè gustum in corpore, in sensibus externis & internis, in appetitu utroque sensibili; taliter nempe, ut sub contemplatione nullam in homine inferiore delectationem persentiscat.

2. Facit Deus, ut mens eliciat fidem & voluntas amorem, sed tamen subtrahit concursum ad tertium actum, nempe ad gaudium, quod de se velut naturaliter ad duos priores actus sequetur. Vel potius dicendum, quod Deus non subtrahat directum de ipso gaudium, sed præcisè illud quasi reflexum, quo gaudeamus, quod Deum amemus & de ipsius bonis gaudeamus.

3. Utroque hoc eventu non debet existimare contemplator, velut Deus gratiam contemplationis subtraheret; sed firmiter persuadere, quod eadem tunc magis & purius & à Fordibus amoris proprii defœciunt, vigeat & vivat. Gustus enim seu oblectatio tum in cor-

pore

pore tum in animo & voluntate solet ferre nostras contemplationes inficere, ut potius in dulcedine contemplationis, quam in Deo quiescamus, gaudeamus, & ultimum finem ponamus. Omnid<sup>e</sup> gaudiosa est contemplatio, sed gaudium ejus est purum, purissimum in solo Deo, propter quem, & de quo gaudetur, quod talis ac tantus sit.

4. Ulterius procedit derelictio. 3. Ob sub:  
Nam DEUS videtur ex parte mentis tractio-  
lumen, & ex parte voluntatis in- nem lumi-  
spirationem retrahere, ut nobis vi- nis,  
deamur, vel omnino tenues, vel nul-  
los actus fidei & charitatis elicere.

5. Quo casu debet scire anima, quod non ipsi actus fidei & amoris seu contemplatio auferantur, sed nudè ac-  
tus reflexi, quibus antea noscebat, quod compleatur & actus præmissos eliciat, in hac autem reflexione gustum quen-  
dam & gaudium percepit. Deus autem, qui vult animam magis magisque de-  
purare ab omni gaudio, quod non est in seipso, etiam hunc gustum tollit.

4. Ob an  
6. Quia verò Deus semper intendit gustias in-  
magis animam separare à seipsa, & ad hominem  
suam unionem aptare; hinc præterea inferiore.  
immitit in sensus & appetitum sensibi-  
lem, mœrores, tristitias, dejectiones,  
pusillanimitates, tentationes, quales in  
via purgante nunquam forte passus est.

7. aut etiam superiore.

7. Nec hic subsistit Dei permissio. Anima in ipsa superiore parte, in mente scilicet & voluntate, ejusmodi sentit angustias, quales nunquam experta est. Intellectus enim obruitur quasi tenebris plus quam cimeris, ut sibi videatur prorsus impossibile aliquid salubriter cogitare, non dico, contemplari aut meditari. Contrà voluntas omnes res spirituales naufragat, opera virtutum abhorret, contemplatio & quidquid spiritum & Deum sapit, fastidium, toredium, mœrorem generant &c.

8. Quid anima misera in hoc statu posita agat? quod se vertat? quid consilii capiat? Animo non dejiciatur, sed confidat & certò supponat; quod Deus ejusmodi angustias & tentationes permittat ad suam perfectionem & plenam cum ipso unionem. Nam in hoc statu locus datur puræ virtuti, generosæ, forti, magnanimæ & perfectæ. Siquidem ut dicitur Jac. 1. v. 4. *patientia opus perfectum habet*, utpote ab omni amoris privati nævo alienum. Hic amor divinus est purum aurum sine ullius scoriæ admixtione. Non enim putandum est, ac si hæ angustiæ impedian vel excludant solidam & perfectam contemplationem, sed pure mollem & delicatam, quæ nempe procedit

dit à viribus superioribus sine difficultate & repugnantia ; hic ergo fides , ut ut animæ videatur tenebrosa & caliginosa , est verè lucida & splendida , spes robatur , licet putetur infirma , & charitas similiter est flagrans & fervida , licet appareat tepida & frigida ; quia non subtrahuntur actus virtutum directi , sed tantum reflexi .

9. Quare corrigenda est phantasia , quâ fere laborant homines in experty & imperfecti , qui putant , quod in tenebris , quod in scrupulis , quod in morbis seu corporis seu animæ , non fiat nec fieri queat contemplatio . Prorsus contrarium docent Mystici , qui tenent afflictionibus etiam gravissimis , non retardari sed juvari contemplationem . Quid enim est haec aliud quam fides & amor Dei ? quis autem neget , quin in maxima etiam calamitate Deus & credi & diligi queat ? Christus in horto & cruce gravissime afflatus est : & tamen quis neget , quod tunc actus perfectissimos charitatis elicuerit ?

10. Videtur anima in priori gra- 6. Ob sub-  
du & statu jam verticem attigisse dere- tractio-  
litionis , & purè contemplationis , nemactus .  
nihilominus advertitur subtiliter à  
Theologis mysticis altior & cel-  
sior gradus . Et quis ille ? si nem-  
pe anima taliter derelinquitur , ut non  
possit

possit credere & amare agendo sed velut patiendo. Explico me; ne videar alienum à fide aut Theologia docere. Actus fortitudinis potior est & excellenter pati quam aggredi, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 123. art. 6. Ergo etiam actus amoris sublimior erit, qui magis importat & nominat *per* passionem & *passionem* quam aggressionem. At vero in priori gradu anima adhuc dilexit agendo, in hoc autem amat patiendo & submittendo. Prius anima hunc modum tendendi habuit: *O Deus, ecce te-nebris & angustias obruor, & tamen amo te & tuam ordinationem.* Hic autem istum: *O Deus, ecce me miseram in angu-stiis deprehensam, submitto me amore tui flagellis tuis, ordinationi tuae, providen-tiae tuae.* Hic ergo anima se habet instar Martyris, qui non agit sed patitur & submittit se fortiter ac generosè tormentis. Item se habet ovis instar, quæ coram tondente se obmutescit, & se subjicit cultro tondentis. Sic etiam anima contemplatrix in altissimo hoc gradu constituta, Deum amat se submittendo & subjiciendo ejus divinæ bonitati & voluntati, nec audet se movere, vel verbum eloqui contra Dei ordinationem, licet duram, asperam & acerbam.

11. Jam

11. Jam si contemplator hac viâ ducatur, imprimis tanquam certum supponere ac credere debet, quod etiam in contemplatione insipida lucere fides mystica & ardore charitas mystica possint, imo quod tunc priuior & defœcator & illa luceat & ista ardeat. Si hoc nondum credit, aut nondum capit, parum de Theologia mystica novit & cœpit.

12. Secundò debet sperare, quod in tali derelictione sublimem actum fidei & purum amorem eliciat, ut ut reflexè non sentiat nec appareat.

13. Tertiò debet se divinæ voluntati submittere & conformare, & patratum se Deo offerre ad manendum in tali derelictione semper usque ad finem vitæ, dicens cum Salvatore: Non mea sed tua voluntas fiat; Hæc instruc<sup>t</sup>io de insipida contemplatione est brevis verbo, sed re gravis & gravissima; & nisi hæc notetur, inchoabit forte orationem affectionis, sed non continuabit, minus perseverabit.

## DISSERTATIO IV.

*De proprietatibus & fructibus contemplationis.*

## ARTICULUS I.

*Quid contemplatio in mente operatur?*

## I.

**S**icut Philosophi aërem dividunt in tres regiones & quasi contignationes, nempe in *infimam*, ubi versantur homines, reptilia & volatilia animantia; in *medianam*, ubi fulmina & fulgura excoquuntur, venti, nubes, comæ, & alia meteora gignuntur; & *supremam*, ubi aër prorsus expersus est omnis alterius corporis, omnis permixtionis, omnis impuritatis, & in sua nativa simplicitate & munditie persistit. Sic etiam Doctores mystici ejusmodi tres regiones discernunt in homine. Primam & *infimam* constituunt sensus externi, corpus & membra corporis, sensus quatuor interni & uterque appetitus sensibilis. Ad *medianam* regionem spectant, ut habet Blo-

Blosius in præfatione ad institutionem spiritualem seu asceticam, tres superiores & rationales intellectualesque vires, quas habemus communes cum Angelis, nempe intellectus (qui & intelligentia dicitur) memoria ac voluntas. Ista tres præclare potentiae sunt spirituales sensus animæ. Nam visus internus attribuitur vi intellectivæ, auditus vi memorativæ, odoratus, gustus & tactus vi affectivæ atque amativæ, hoc est voluntati. Tertia & suprema regio consistit in ipsa essentia animæ, quatenus gratia sanctificante exornatae, ubi Deus & tota sanctissima Trinitas cum omnibus bonis & donis suis residet. Dicitur etiam hæc regio centrum & fundus animæ, mens & apex spiritus &c. Jam verò examinare cogito, quid contemplatio in ipsis regionibus seu animæ vivis & ipsa anima operetur.

2. Ab intellectu, quæ est suprema animæ potentia, initium sumo, & imprimis assero contemplationem elevare ipsum intelligentiam. <sup>plat 1.</sup> Dum enim terra: contemplationem elevare intellegunt ele- na cogitamus, intellectu reptamus in vatis. consequenter dum cœlestia & di- vina mente volvimus, ad cœlos & Deum elevamur. Tunc quidem corpore in terra consistimus, sed mens & animus ad Deum attollitur. Mens enim contemplatoris intra se relinquit omnia & se

& se ad Deum supremum , altissimum & incomprehensibile Ens mysticè sublevatur. Unde animus contemplatoris assimilatur aquilæ volucrum reginæ , quæ inferiora deserit , & ipsum solis lumen oculo non obnictante tuetur. Sic etiam Contemplator fide & dono sapientiæ adjutus se in altum levat , & in luce contemplationis ipsam Lucem increatam defixis obtutibus intuetur.

**2. Facie  
attoni-  
tum**

3. Deinde contemplatio facit attonitum & admiratione suspensum. Provenit hæc admiratio ex mirabilibus, quæ contemplator in Deo aspicit. Quid Deo mirabilius ? quid magis stupendum , quam Dei unitas & trinitas, quam divinae relationes & processiones, quam Dei misericordia & justitia , quam immutabilitas , æternitas , bonitas , infinitudo , sapientia , providentia & alia attributa , quæ in prima parte Theologiæ considerantur ? Nihil vel patrum de Deo novit , qui mirabilia Naturæ divinae non obstupescit. Non opus est multa speculatione & indagatione perquirere in Deo admirabilia. Homo simplex novit & credit symbolum Apostolorum ; & in hoc mirabilia , quanta omni admiratione dignissima continentur ? Omnis articulus fidei est mysterium , est arcanum reconditum , est ali-

aliquid transcendens naturam : & hinc omnis meretur admirationem.

4. Theologus itaque mysticus sub contemplatione hæret artonitus , nihil audet eloqui , non audet hiscere præ reverentia infinitæ majestatis , nullum audet de DEO optimo maximo nomen affirmare , sed exclamat cum S. Paulo Rom. 11. v. 33. O altitudo divitiarum sapientia & scientia Dei , quam incomprehensibilia sunt judicia ejus & investigabiles via ejus ! vel Deum laudat cum regio Propheta ps. 148. v. 1. Laudate Dominum de celis , laudate eum in excelsis &c. vel se demittit , ac Deum extollit , dicens v. g. ego abyssus nihili Tu abyssus Entis , ego abyssus miseriarum Tu felicitatis , ego abyssus ignorantiae Tu sapientiae , ego abyssus turpitudinis Tu pulchritudinis , ego abyssus impuritas , Tu puritatis.

5. Tertiò contemplatio facit ecstaticum. Ecstasis juxta S. Thomam 3. Ecstati-  
cum.  
1. 2. quæst. 28. art. 3. & 2. 2. quæst.  
175. art. 2. ad 1. sic , cùm aliquis extra se ponitur. Anima verò contemplatrix à seipso & corpore quasi exit & egreditur , & versatur mente & affectu in & cum Deo. In actis Sanctorum nostri Ordinis legitur de S. Aemiliano, Sæc. 1. f. quod de eremo ac solitudine per Epis- 209. n. 12. copum

copum Tyraffonensem vocatus sit ad sacerdotium & curam animarum. Quo eventu, scribit vitæ Author, videbatur sibi quasi de cœlo traduci ad mundum. Anima enim contemplationi dedita non tam habitat in mundo, quam in cœlo & Deo. Quia nempe omnes ejus operationes non circa hæc infima & mundana, sed unicè circa Deum ac divina occupantur. Potest etiam ecstasis etiam provenire à dæmone, sicut etiam à naturæ debilitate aut vehementi imaginatione; ecstasis verò, quam Deus efficit, à tribus oritur principiis, nempe vel à magnitudine admirationis ex parte mentis in Deum ac Divina suspensæ, vel à vehementia amoris & inde consequentis exultationis ex parte voluntatis in Deo summo Bono defixa.

Semi-plenæ  
nè

Vel plenæ.

6. Debemus autem hic consumere ecstasim in plenam & semi-plenam. Istam patitur contemplatrix anima, si tantum viribus superioribus intellectu & voluntate seu cogitatione & affectu exit à seipso & toto mundo, & in uno ac solo Deo defigitur. Illam patitur, si omnibus viribus, etiam sensibilibus, egreditur à se & toto universo, & tendit in Deum suum unicum & omne Bonum. Et tali animæ omnia, quæ in hoc mundo sunt, fastidium creant.

Nihil

Nihil amplius ei videtur pulchrum vi-  
su, auditu suave, odoratu amoenum,  
gustu acceptum, tactu festivum, ima-  
ginatione jucundum, recordatione gra-  
tum, appetitione delectabile præter DE-  
um, ad quem unicè suspirat, anhelat,  
exclamat.

7. Ecstas in consequitur raptus, quo 4. Raptus,  
anima raptur ad divina. *Raptus addit,*  
verba sunt Angelici Doctoris 1.2. quæst.  
175. art. 2. ad 1. aliquid supra ecstas in.  
Nam ecstasis importat simpliciter excessum à  
se ipso, secundum quem si licet aliquis extra  
suam ordinationem ponitur. Sed raptus su-  
per hoc addit violentiam quandam. Ani-  
ma ergo contemplatrix, dum ecstas in  
patitur, dulciter omnibus viribus ad  
Deum sublevatur. Dum vero Deus rap-  
tu eam dignatur, vi quadam & violen-  
tiâ à se & mundo abstrahitur, & in  
centrum animæ & in adyta divinitatis  
raptatur. O opribilis violentia! ò du-  
ra simul & blanda vis!

8. Hic rursum claritatis gratiâ di- *Raptus se.*  
stinguere oportet inter ecstas in & rap-  
tum vulgarem sive *sobrium*, & verè my-  
sticum, qui etiam *ebrius* dicitur. Ille  
est, quando anima non quidem se solâ,  
sed concurrente divinâ gratiâ, omni  
contentione se in divinorum contem-  
plationem elevat, & sic unâ omnes suas  
vires

vires & potentias tum internas , tum externas sanctâ quâdam violentiâ pariter à mundanis & mundo ad Deum & divina raptat. Iste est , si anima per singularem divinæ gratiæ motionem omnibus viribus impressam gratiôsè tangitur , & sic tota cum omnibus suis potentiis ad Deum raptur. Raptus sobrius per divinam gratiam in nostra potestate constitutus est , ebrus à libera nostra voluntate nequaquam dependet , sed est donum Dei extraordinarium & peculiare , quo ipse mentem sublevat , & voluntatem ad vehementem amoris excessum lustollit , cum potentiarum suspensione & sensuum alienatione.

9. Adhæc Mysticî alios tres raptus statuunt. Primus contingit in infra regione , nempe in corpore , sensibus & appetitu sensibili ; secundus in mente , memoria & voluntate , & sic in secunda regione ; tertius in suprema regione & apice animæ. Primo respondeat oratio *recollectionis* , secundò *quietis* , tertio *unionis*.

10. Ejusmodi raptus legimus in vitiis Mysticorum , qui sub contemplatione omnem sensum circa res terrenas & humanas amiserunt , nihil viderunt , nihil auditu percepserunt , & verberati & acriter pulsati nihil doluerunt. Quia nem-

nempe contemplatio erat tam vehemens, fortis & efficax, ut non solum mentem & voluntatem, sed etiam appetitum utrumque sentientem, velut etiam sensus tum internos tum externos ad suum objectum, Deum scilicet, rapuerit. Hic raptus est singularis gratia, nec est in nostra potestate & arbitrio. Vocatur autem ebrius, quia nempe anima tunc praे gaudio ebria, exultat, clamat, & nimiam suam voluptatem, ebriorum instar, insolitis gestibus vel clamoribus prodit.

11. Quinto ex parte mentis alii fructus consequuntur. Nam augetur fidem, Contemplatio enim ex sua ratione involvit actum fidei; actus vero intendunt habitus. Augetur donum sapientiae, quia, ut ex dictis patet, contemplatio non est quisunque actus fidei, sed qui illustratur & elevatur dono sapientiae. Augetur donum intellectus, quia hoc ad contemplationem per modum luminis principiorum concurrit, velut donum sapientiae per modum scientiae, ut ex tractatu de donis suppono. Augentur etiam alia duo dona Spiritus sancti, quae se tenent ex parte mentis, nempe scientia & consilium. Quia nempe contemplator, qua talis, semper ex donis & instinctu operatur, non

5. Auger  
fidem,

Donum  
sapientiae

Intellectus,

Scientia  
& consi-  
lium.

lib.

non ex virtutibus. Hinc dum considerat de articulis fidei & rebus spirituilibus, Deo inferioribus, hoc facit per instinctum Spiritus sancti & donum scientiae. Pariter cum de agendis consultat, vel judicat, vel agenda ordinat, haec non per virtutem prudentiae & virtutes ei annexas praestat contemplator, sed per altius lumen, nempe donum consilii.

*6. pruden-  
tiam &  
Theologi-  
am.*

12. Licet autem directe & per se in contemplatione non eliciantur actus prudentiae vel ebuliæ vel finesis aut gnome; minùs actus Theologiae scholasticæ, polemicæ, asceticæ, positivæ, moralis &c. tamen contemplatio sub certa ratione omnes istos habitus & virtutes indirecte adauget. Et quomodo, quis, hoc evenit? Respondeo: tum quia Theologia mystica fidem illuminat, à qua isti habitus in sua perfectione dependent; tum quia est eminentius lumen, quo habito omnes alias Theologias quasi eminenter complectimur. Unde legimus de Sanctis omnis litterarioræ expertibus, imo & fæminis, quod melius & solidius de Deo rebusque divinis senserint & docuerint, quam Theologi pure scholastici. Et cur hoc? ideo, quia nempe scientia cœlitus infusa melior & perfectior est humano labore & studio

studio acquisita ; illam autem possident  
Mystici , hanc verò Scholastici. In  
hujus rei confirmationem plura possem  
afferre exempla, quibus apertè demon-  
stratur , quòd in notitia Theologica il-  
li istos longè excedant.

## ARTICULUS II.

*Quid operetur contemplatio in me-  
moria?*

I. M Emoria juxta S. Thomam &  
communem ferè Philosopho-  
rum non distinguitur à mente , sed est  
ipsa mens ut recipiens species & ima-  
gines mentis & conservans. In me-  
moria verò tria maximè efficit sancta  
contemplatio. 1. Species humanas & 1. Species  
vanas , quas de rebus terrenis , & for vanas era-  
te etiam obscenis , hausimus , de the- dit.  
sauro memoriae velut eradicat. Frequen-  
ti enim usu contemplationis ac eleva-  
tionis ad superna & divina accidit , ut  
similes species , nempe supernæ ac divi-  
næ , generentur , & sic aliæ velut ex-  
pellantur & opprimantur. Benè scio ,  
quod species non contrariantur , sed lu-  
pus & agnus , virtus & vitium , ignis  
& aqua simul habitent in memoria , si-  
ne pugna , sine mutuo conflictu ; sed

H

tamen

tamen vis specierum unius generis retunditur per copiam & virtutem & perfectionem specierum alterius generis seu classis. Deus sub contemplatione, inquit Guido in Scala Paradisi cap. 5. Facit animam terrenorum oblivisci, memoria sui eam mirabiliter fortificando, vivificando, & inebriando ac sobriam rediendo. Unde habemus infinita velut exempla in Viris perfectis & mysticis, quod omnium rerum sui & totius mundi fere obliviscantur, & solius Dei rerumque divinarum memoriam retineant. Magna profectio & grandis haec est felicitas & perfectio hujus vitae, hujus vitae velut non recordari; sed taliter esse in terris, ut animus versetur in cœlis.

**2. Divinas  
multipli-  
cas.**

**2. Alterum**, quod contemplatio præstat in memoria, est, quod species Dei ac divinorum augeantur, intendantur, & multiplicentur. Quoties enim naturaliter cogito, toties generatur species in memoria, vel si jam genita sit, augetur & intenditur. Si ergo cogito de Deo frequenter, frequentantur in memoria species Dei. Nam Philosophi tenent, quod memoria sit instar tabulae, quæ retinet, quidquid in ea scribitur, vel instar ceræ, quæ apta est quaslibet formas seu figuræ recipere.

pere. Unde si humana cogito , recipit formas humanas , si divina , divinas. Quoties autem de Deo cogito supernaturaliter & supra naturam , toties species supernaturalis infunditur vel jam infusa augetur , perficitur & magis illuminatur. Si Deus ipse per gratiam ordinariam species vel noviter infundat vel infusas noviter & singulariter ordinet , contingit vera visio divinitatis , seu intuicio Veritatis secundum se clara & clarissima , respectu tamen visionis beatæ adhuc obscura & tenebrosa. Contemplatio ergo memoriam quasi elevat & ad sublimiorum statum extollit , & facit quasi divinam , quia Dei formam & imaginem in ea scribit , imprimit & pingit : O si daretur intueri memoriam contemplationis , quas pulchras ibi formas & imagines supernaturales consiperemus ? Nam ibi apparerent excellensissimæ imagines divinitatis , sanctissimæ Trinitatis , sapientiæ , veritatis , potentiarum , immensitatis , bonitatis , & aliarum perfectionum divinarum. Apparebunt ibi picturæ rerum cœlestium plurimæ , saluberrimæ & splendidissimæ , nempe Christi Verbi incarnati , virtutum , Sacramentorum & aliorum mysteriorum fidei &c.

3. At vero dices : haec species Dei  
H 2 re-

rerūmque divinarum obsunt magis contemplationis exercitio , quām prosunt. Nam censemystici , quōd contemplator , ut perfectē & mysticē agnoscat Deum , potiūs debeat species abigere ac removere , quām uti & adhibere. nimis enim humiliter & vilter consideratur maximus & altissimus Deus , si per imagines & picturas creatas , vellut sunt species repræsentatur.

4. Respondetur , quōd hoc in sensu sano & docte intelligi debeat. Nam pro statu viæ apprehendere non possumus aliter Deum , quām per species intelligibiles : at verò Deus non debet à contemplatore tam humilis judicari , qualem ipse apprehendit , sed infinitè altior & incomprehensibilis. Pro hoc itaque statu imperfecto non valemus absolutè species intelligibiles removere à nostra intelligentia ; sed tamen non debemus Deum talem & tam vilem aestimare , qualem nostræ species repræsentant. Itaque egemus speciebus in cognitione etiam mystica ; quōd enim perfectiores & intenſiores sunt species , hōc valemus perfectiorem & intensiorem contemplationem affirmantem seu positivam elicere: quōd autem hæc altior , hōc altior erit postea etiam negans contemplatiō.

s. Terc.

5. Tertiò contemplatio facit , ut<sup>3.</sup> Incitat  
Dei continuò simus memores , eum- *ad conti-*  
*que semper in fundo animæ præsen-* *nuam Dei*  
*tem & operantem consideremus, ame-* *recorda-*  
*mus, adoremus. Tum quia accedit* *tionem,*  
amorem ; amans verò semper cogitat de  
amato, & assiduè occurrit memoriae :  
tum quia auget & accumulat species de  
Deo ac rebus sanctis , quæ Deum ac  
res sanctas ex sua ratione ingerunt, &  
ad easdem cogitandas mentem deter-  
minant. Illius enim maximè & fre-  
quentissimè recordamur , cuius vehe-  
mentiores & frequentiores species ha-  
bemus.

6. Quare homo multæ contem-  
plationi deditus verè assimilatur Bea-  
tis ac Cœlitibus. Sicut enim hi non pos-  
sunt unquam obliuisci Dei , utpote ob-  
jecti sui beatifici , ita etiam contem-  
plator saltem longo tempore nequit  
vivere , quin Deus ipsi occurrat. Nam  
ei nulla res sapit , quin Dei memoriam  
condiatur. Non sapit comedio , non  
ambulatio , non recreatio , non col-  
locutio , non alia operatio , nisi agatur  
ibi etiam memoria Dei ; & si nemo ex-  
teriorius ejus facit memoriam , ille saltem  
interiorius non potest obliuisci.

7. Nam contemplatores aliqui eō  
deveniunt, ut in omnibus rebus , quas

vident, audiunt, gustant, vel alias sensibus percipiunt, Deum potius quam rem ipsam percipient & expendant. Si quidem Deum credunt omnibus rebus intimum, & à Deo omnia suscipiunt, quæ ipsis obtingunt, & in toto mundo eveniunt. Gaudent jugiter de supraemate, dominio, & potentia Dei, qui facit in seipsis & in tota rerum universitate, quod vult & sibi placet. Gaudent de copia & egestate, de morbis & sanitate, de turpitudine & pulchritudine, de adversis & prosperis, de excessu & defectu, de gloria & contemptu, de cœlo, de purgatorio, de inferno, verbo, de omnibus gaudent, quæcumque vel sensui vel intellectui se objiciunt. Et cur hoc? quia nempe ex fide noverunt, quod hæc omnia sint à Deo, sint ad gloriam Dei, sint ad manifestationem divinarum perfectionum. Excipitur solum peccatum, de quo si memoria recurrat, intimè dolent, gemunt, ejulant; quia per se ac directe divinæ bonitati & laudi contrariatur. Interim tamen etiam prudens contemplator ex ipso malo & peccato bonum & gaudium elicit: quia vider, & hoc facere ad Dei gloriam, ejusque iustitiae ostensionem. Sicut ergo Deum nihil affligit; sic etiam hominem talem Deo unitum

tum & memoriam, intellectu & appetitu coniunctum, nihil valet dejicere, aut meroe afficere.

8. Quid enim contemplatorem affigat? quid eum torqueat? suum unicum & plenum gaudium collocat in Deo ejusque voluntate: at verò Deum nemo auferre potest, nec aliquid ejus voluntatem impedire. Unde cum regio Propheta in quocunque eventu & quacunque afflictione enunciat Ps. 76.

v. 4. *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Si enim Dei præsentis, omnia providentis, omnia fortiter & suaviter dispensantis: memoria subit, omnis confessim tristitiae nubes recedit, & spiritualis lætitiae serenitas oritur & accedit.

9. Felix itaque ac ter felix homo, qui se totum dedit contemplationi, qui semper Dei recordatur; talis enim semper quoque delectatur. *Sicut Beati re-*  
*quiem non habent die ac nocte, dicentes:* Apoc. 4. v.  
*sanc tus, sanctus, sanctus, Dominus Deus om-*  
*nipotens, qui erat, & qui est, & qui ven-*  
*turus est,* sic etiam contemplator emulatur Cœlites, fere nunquam quiescit. & quantum hujusvitæ defectus permitunt, semper Deum suum memoriam re-colit, ipsum laudat, prædicat, amat, complectitur, cum Beatis clamat de

die, & si evigilat, etiam de nocte :  
*Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omni-  
 potens.*

## ARTICULUS III.

*Quid operetur in voluntate ?*

**Contem-  
platio I.  
volunta-  
tem ele-  
yat.**

**2. Gignit  
charita-**

**I.** EX parte voluntatis contemplatio, imò. facit, ut voluntas nihil amet de mundo, nihil de bonis terrenis; sed eam sublevat ad DEum ac cœlestia.

**2.** Secundò gignit charitatem *ac-  
tualem*, & intendit *habitualē*, ut sa-  
pè diximus. Sicut autem contempla-  
tio est non qualiscunque cognitio, sed  
hujus viæ perfectissima & excellentissi-  
ma : sic etiam actus charitatis ex ea  
procedens, non est vulgaris, sed al-  
tioris & eminentioris ordinis & ratio-  
nis. Intensio pariter bene consideran-  
da est. Nam brevi tempore contem-  
plator amplius in charitate progreditur,  
quam homo imperfectus longissimo.  
Item hæc charitas est pura, fortis &  
efficax, ideoque efficit munditiem cor-  
dis, gloriationem in adversis, castiga-  
tionem carnis, humilitatem mentis,  
despectionem terrenorum, desiderium  
superiorum, & operationem omnium  
virtutum.

**3. Ter-**

3. Tertiò spem Theologicam plurimum auget. Nec fortè ingerat docens Lector. Habitus intenditur per ac-<sup>3. Auger</sup>  
tus; at verò spes raro elicetur sub contemplatione; quia hæc tota conficitur & compleatur fide & amore. Nam hoc absolute negatur. Spes enim semper intervenit non minus quam charitas: quod exinde patet. Quia, dum contemplamur, non credimus Deum nobis praesentem quomodo cuique & sicut est in omnibus creaturis, sed etiam speramus praesentem per gratiam, charitatem, unionem, amicitiam & familiaritatem. Unde veram & perfectam contemplationem non potest non comitari semper spes: & consequenter semper intenditur, non minus quam fides & charitas.

4. Sed ais: nulla aut vix spei mentio facta est superius Diff. 3. art. 6. & 7. sed unius fidei & charitatis. Nam & spei jam memini, licet forte non tam frequenter & tam expressè. Neque hoc erat opus, ut tam explicitè illam in processu contemplationis posseremus: quia in actu fidei in quo constituitur natura contemplationis, jam involvitur, & ab ea nunquam separatur. Evidem fides potest esse sine spe; fides autem *contemplatrix* non est, quæ

sine spe est, seu quæ spem non includit, infert, & ex se velut profundit.

**4. Parit  
gaudium,**

**5. Quartò contemplatio purum**

quoddam efficit gaudium; quo de bonis divinis ejusque attributis & personis jugiter gaudemus. Item efficit pacem, ut nempe homo in nulla alia re suam ponat quietem, præterquam in Deo. Item facit, ut proximum non duntaxat verbo sed opere & veritate diligamus. Adhæc contemplator est misericors, & viscera habet plena misericordiæ. Unde nemo sollicitius, diligentius opera misericordiæ tum corporalia tum spiritualia, si loci, temporis & statūs conditio admittat, illo exercet. Præterea omnis expers est acediae, pigritiae, teporis, expers omnis odii, invidiæ, discordiæ, contentionis, rixæ & aliorum vitiorum, quæ charitati fraternali & christianæ repugnant. Ratio horum omnium est: quia nempe S. Thomas 2. 2. quæst. 28. &c. Hæc omnia ponit tanquam effectus interiores seu exteriores, seu tanquam res contrarias charitati; sic etiam rectè ponuntur fructus & effectus contemplationis. Axionema enim est in scholis receptum: quod est causa causa, est etiam causa causati. At verò contemplatio est causa charitatis; & consequenter etiam causa erit illo-

**Et chari-  
tatem pro-  
ximi.**

illorum, quorum causa est ipsa charitas.

6. Ex quibus colligitur, quod contemplatio etiam reddit ad vitam agentem, ad curam animarum, ad dirigendas aliorum conscientias &c. Ratio est: quia contemplator cœlesti pollet sapientiâ, scientiâ, consilio, & prudentiâ; ardet etiam amore Dei & proximi; zelus quoque animarum in ipso purus est, & ab amore proprio alienus.

7. Quinto contemplatio præstat, Efficit voluntati in Deo & erga Deum unionem, in hæfionem, extra sin, liquefactionem, læsionem; item facit eam præ amore vulnerari, languere, inebrari, effervesce re, ebullire &c. ut tenent communiter Mystici. Ratio est: quia hos & similes effectus prolignit fervens charitas; at vero pro statu viæ nunquam magis effervescit charitas, quam in actu contemplationis.

8. Nec fortè ingeras: hos fructus parit quidem sapida contemplatio, si quis nempe in benedictionibus dulcedinis præveniatur; insipida autem horum & similium fructuum expers est.

9. Respondeatur: qui taliter sentit, male sentit. Contemplatio etiam insipida est fœcunda & fertilis, & dic

tos fructus parit, non quidem sensibili-  
ter & in sensibus, sed spiritualiter & in  
voluntate. Non enim debeimus istos  
effectus tam crudè, tam corporaliter su-  
mere, velut sonant verba, sed in sensu  
altiori & sublimiori. Sicut ergo amor  
purior est in contemplatione insipida;  
sic etiam gaudium, pax, unio, inhæ-  
sio, ecstasis, liquefactio, & hujusmo-  
di. Errant hic & maxime errant, qui  
nimis sensibiliter cum contemplationem  
cum effectus ejusdem apprehendunt,  
cum tamen & illa & isti à materia &  
sensibus longissimè separantur, & ad res  
spirituales, & ipsum Ens spiritualissi-  
mum, Deum, proximè velut accedant.

**6. Reddit  
iustum  
plene.**

10. Sextò contemplatio volunta-  
tem reddit expeditam ad opera justitiae  
& virtutum ei subjectarum & adjuncta-  
rum. Contemplator ergo cuique suum  
tribuit amore Dei, & odit ac execra-  
tur detractionem, judicium temerarium,  
injuriam, acceptionem personarum, &  
quodlibet genus injustitiae; & contra in-  
clinatur ad omnes justitiae actus. Nam  
iustus est in commutatione, æquus in  
distributione, devotus in religione, at-  
tentus in oratione, fervidus in laude di-  
vina, in sacrificio & aliis sanctis ope-  
ribus. Adhæc pius est erga parentes,  
observans erga excellentes, devotus er-

ga

ga Sanctos, obediens erga Præpositos,  
gratus erga benefactores, severus erga  
malfactores, affabilis & verax erga  
omnes.

11. Ratio verò, cur tot affectus  
& effectus contemplationi assignentur,  
multiplex est: triplicem afferro. Tum  
quia hujusmodi virtutum actiones sub  
contemplatione *affectionis* Deo offert,  
ac ex pura dilectione exercet: tum quia  
contemplatio voluntatem convertit effi-  
cacerit ad Deum, & consequenter eti-  
am ad illa, quæ ad Dei consecrationem  
proficiunt: tum quia contemplatio vi-  
vidam & fervidam reddit charitatem,  
quæ justitiam cardinalem, & omnes vir-  
tutes ad ipsam pertinentes, velut regi-  
na, suo movet imperio.

12. Et quod maximè consideran-  
dum & æstimandum est, omnes præ-  
dictas virtutes non exercet contempla-  
tor vulgari & communi modo, sed  
altiori & mystico, nempe ex imperio  
charitatis & influxu doni pietatis. Non  
enim contemplatio efficit purè justum,  
sed cum quadam eminentia & quasi su-  
perjustum & elevatum supra communem  
virtutem justitiae. Ratio jam insinua-  
ta est, & ex tractatu de donis sumitur.  
Nam dona sunt eminentiora virtutibus;  
proprium autem est contemplatoribus

non operari nudè ex virtutibus etiam supernaturalibus , sed habitibus donorum , quæ illas perfectione ac excellentiâ transcendunt. Hinc juxta sanctum Thomam 1. 2. quæst. 68. art. 1. actus justitiae seu alterius virtutis ipsi annexæ , & actus doni pietatis specie distinguuntur ; & iste illum perfectione non tantum accidentariâ , sed etiam essentiali excedit. Unde contemplator quâ talis , sublimioris generis opera justitiae exercet illo , qui dono Theologiae mysticæ caret.

13. Ex quibus facile colliget Aſcēta , quantum voluntas contemplatione eleveretur ac decoretur : quia nempe in eadem gignit contemptum mundi , auget charitatem , spem confortat , justitiam parit , & velut divinam efficit ac reddit. O felix illa voluntas , quæ hujus cœlestis sapientiæ efficaciam suscipit & experitur !

#### A R T I C U L U S IV.

*Quid operetur in aliis viribus , & ipso corpore ?*

*Contentio 1.* **N**on solum ad vires spirituales ; platio per. sed etiam ad sensibiles virtutem ficit suam extendit & diffundit contemplatio.

tio. Et imprimis ad quatuor sensus <sup>I. Sensus</sup> internos. De quibus sciendum est, quod <sup>internos.</sup> ex se & natura sua inclinent ad res sensibiles cogitandas: sensus enim utique ex se non versatur circa spiritualia & à sensibus remota? Sed quid in eis operatur contemplatio? respondeo, efficit velut spirituales. Sed ais, repugnat, ut potentia ab intrinseco sensibilis fiat spiritualis. Quare hic modus loquendi in sensu sano debet intelligi. Nempe contemplatio istas quatuor potentias non intrinsecè, sed extrinsecè facit spirituales.

2. Pro cuius propositionis intellectu notandum est & supponendū, quod in libris de anima Philosophi nostri docent, nempe, quod hi quatuor sensus, licet ex se propendeant ad objectum sensibile, tamen extrinsecè elevari possint, ut modo sibi proprio spiritualia percipient. Unde contingit, quod homines verè spirituales spiritualia somnient; quia nempe phantasia plena est speciebus de Deo rebusque divinis ac cœlestibus. Hoc etiam sensu forte dixit sponsa Cant. 5. v. 2. Ego dormio, & cor meum vigilat. Id est, sensus quidem externi dulci sopore quietescunt; sed tamen sensus interni vigilant & somniant: sed quid? Dilectum. Nam veluti sanctæ & piæ

piæ animæ rebus sanctis & piis; sic mali & mundani homines rebus malis & mundanis in somno & quiete occupantur.

3. Affidua ergo contemplatio sensus internos quasi ad alium & perfectiorem statum transfert; eoque velut sanctificat, & si ita loqui fas est, canonicat, & divinizat. Nam sicut homini vano sensus isti non exhibent, nisi vana, humana, terrena; sic homini perfecto & contemplatori fere non representant nisi gravia, superna, & divina. Nempe id nobis frequenter cogitatione recurrit, cuius habemus species; at verò homo spiritualis & contemplator in sensibus internis ob continuam rerum spiritualium meditationem ferè tantum species possidet de Deo, perfectionibus divinis, & aliis rebus spiritualibus. Unde necessum est, ipsi fere non recurrere nisi sancta, nisi æterna, nisi superna.

2. *Appetitum concupiscentem,*

4. Deinde contemplatio utrumque etiam appetitum, tam concupiscentem quam irascentem, perficit, facitque, ut contemplator jucunda, tranquillaque mentis libertate gaudeat, elevatus supra omnes curas, turbationem, metum mortis, inferni &c. amat ergo mysticus, desiderat, gaudet unicè de Deo sum-

summo Bono , & aliis bonis , quæ ad Deum ordinantur & perducunt. Contraria odit , fugit , dolet & execratur peccatum etiam levissimum , utpote , quod Deum offendit. Item temperans est , deditus abstinentia & sobrietati , jejunio addictus , quidquid castitati vel pudicitia vel à longè adveratur , cane pejus & angue fugit & averatur. Adhæc Angelicam præfert modestiam. Gestus , facies , incessus & totius corporis habitus internam significant & spirant sanitatem. Humilis est , ideoque propriam excellentiam laudem & honores fugit. Studiosus est sacræ lectionis , maximè Scripturæ , & otium tanquam pestem declinat. Nec etiam tetricus est , sed occasione ferente virtutem eutrapelia ostendit , sed tali moderarione , ut Deo & hominibus placeat , ut nec excedat nec deficiat , sed medium virtutis , ex divini Spiritus inspiratione , perfectè attingat.

5. Similiter contemplator in appetitu irascente perfectus est : hujus enim passiones freno rationis gubernat. Fortis est , ridetque in mortis periculis & ipsa morte , ad quam singularis momentis paratum se Deo offert. Magnanimus est ; cùm enim sit magni spiritus , non nisi magna pro Deo ejusque gloria

3. Iraſcentem.

gloria attentat. Sed nimirum, ut experior, hic tractatus cresceret, si vellem omnia opera & virtutes contemplatoris & fructus ac effectus contemplationis describere. Quare dicendum est, & certissimò tenendum, quòd contemplatio in omni genere virtutum & in omni actione perfectum efficiat. *Sicut in quibusdam carnalibus officiis*, inquit author *Scalæ Paradisi* cap. 5. *adèo vincitur carnalis concupiscentia*, quòd omnem usum rationis amittit, & fit homo quasi totus carnalis: ita meritò in hac superna contemplatione ita consumuntur & absorbentur carnales motus ab anima, ut in nullo caro spiritui contradicat, & fiat homo quasi totus spiritualis.

4. *Ipsos sensus ex-ternos reficit, vividos & vegetos reddit, & corpori longævitatem im-*  
*corpus.* 6. Contemplatio ipsos etiam sensus externos reficit, vividos & vegetos reddit, & corpori longævitatem im-pertit. Nam præter abstinentiam & moderationem passionum ( quæ ad longam vitam plurimùm faciunt ) ratio potissima, cur viri sancti & perfecti in annos plurimos vitam eduxerint, est dulcedo contemplationis. Unde etiam legitur de pluribus Sanctis, quòd ægri & lecto affixi ob tacum *mysticum*, quo Deus illos dignatus est, subito convalluerint. Nec mirum hoc aut incredibile videri debet. Contemplatio enim, dum

dum in corpus se exerit , longè superat aurum potabile & omnis medicinæ, quantumvis pretiosæ virtutem & efficaciam. Siquidem cor mirabili prorsus virtute recreat, omnes arterias penetrat , sanguini vigorem inspirat , & totum corporis habitum suaviter afficit & vitam ac valetudinem instaurat. Unde inter alios effectus sapientiæ Sapiens Prov. 3. v. 16. enumerat longitudinem dierum & alia bona temporaria. Sic enim ait : *Longitudo dierum in dextera ejus, & in sinistra illius divitiae & gloria. Via ejus via pulchra, & omnes semitæ illius pacifica &c.*

7. Ex quibus demum omnibus concluditur , quod Theologia mystica & ejus operatio , nempe contemplatio , bonum sit prorsus inæstimabile , incomparabile. Nam in seipsa actus est eminentissimus , & similes prorsus habet proprietates , fructusque progignit. Bonum est grande , maximum , efficacissimum. Superat non omnem tantum sensum & facundiam , sed omnem etiam humanum captum & intellectum , hominemque quasi divinum efficit. Et hæc non dicuntur hyperbolice sed planè & sine exaggeratione. Nam verè homo per contemplationem torus renovatur & commutatur , inque

inque eo completerur perfectè , quod S. Paulus monet Ephesios cap. 5. v. 23. Renovamini spiritu mentis vestra , & induite novum hominem , qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Contemplando enim sit homo aliis & novus mente , memoriam , voluntate , sensibus internis , appetitu sensibili , & ipso corpore , Deumque quasi & Christum induit in iustitia & sanctitate veritatis.

**Conclusio.** 8. Quis ergo tam imprudens est , qui non amore tanti boni tangatur , qui desiderio erga illud non exardescat , qui non statuat , per tela , per arma , per ignes , id est , per quælibet dura & aspera querere & eluctari ad verticem contemplationis ? O quæ & quanta hoc in mundo est cœcitas , quanta ignorantia , quanta insipientia ! pro bonis levissimis , pro honoribus , pro opibus , pro voluptatibus laboratur , sudatur , confligitur ; & usque ad mortem fatigatur hic mundus ; & pro bono tam gravi , tam eminenti pigrescimus , dormitamus ! Filii hominum , usquequo gravi corde , ut quid diligitis vanitatem , & queritis mendacium ? Ps. 4. v. 3. Quamdiu gravi corde queritis hæc infima , hæc vana , hæc mendacia bona ? cur mente non intenditis ad contemplationem sum-

summi & infiniti Boni? in hujus enim cognitione & dilectione praesentis vitæ beatitudo est constituta.

## ARTICULUS V.

*Proferuntur causæ neglecti contemplationis.*

1. **M**irum profectò est & valde mirum, quod tam pauci & rari sint, qui se dedant ex toto corde & viribus contemplationi, cum tamen non pauci sint, qui bona ejusdem immensa neverunt, legerunt, & apprehenderunt. Quare operæ premium erit, hic causas quasdam producere, quæ multos à studio hujus divinissimæ sapientiæ avertunt.

2. Primò aliqui putant, quod de- Negligitur berent vitam asperimam & opera pœ- 1. ob hor- nitentiaæ extraordinaria assumere, si rorem dif- vellent operam Theologiae mysticæ ficultatis. navare. At verò hoc non requiritur; sed omnino satis est, si in statu, ad quem quis vocatus est, piè & sanctè vivat.

3. Secundò alii causantur se non- 2. Ob pœ- dum præparatos & dispositos, & ad- fillanimi-  
huc in via purgante hærente. His au- tem

tem dico, si nondum sunt dispositi, laborent, & se disponant. Cæterum in vita præsentí non valemus vitia penitus delere, sed præcisè iis animum purgare & mundare. Etiam contemplatores sunt leves peccatores & actu labuntur; sed tamen mox resurgunt, & in animo gravissimum horrorem omnis peccati sovent ac retinent. Deinde operibus fidei & charitatis, quæ sub contemplatione exercentur, vitia etiam extirpantur, & quidem longè efficacius & celerius quam exercitiis viæ purgantib.

*3. Ob de-  
fectum  
Magistri.*

4. Tertiò alii negligunt Theologiam mysticam defectu Magistri & Directoris, qui eos instruat & dirigat in via ad hanc divinam scientiam. Non enim tam multisunt, qui hic multam possideant notitiam. Doctos in humanis scientiis passim reperimus, sed in hac divina non tam multis.

5. Fateor, his ægrè consilium suggero; puto tamen, quod talibus providerit Deus de Magistris mortuis, nempe libris, ex quibus disci valet hæc scientia; maximè si tales sint, qui non præcisè naturam & proprietates contemplationis examinent, sed etiam usum ad illam pervenienti doceant ac demonstrent. Quidam hic errant, continuo legunt, sed non libros tractan-

tes

tes de perfectione , & ideo nunquam assumunt exercitia perfectionis. Ponamus aliquem , qui cupiat discere omnes prorsus scientias , libros tamen præcisè legat de vocibus & constructionibus ac rebus grammaticis docentes ; talis in severioribus disciplinis nunquam proficeret. Sic etiam res se habet apud quosdam Ascetas , qui ideo in perfectione & Theologia mystica non progrediventur ; quia non legunt nisi libros , qui pro incipientibus scribuntur , non tales , qui statui perfectorum respondent. Itaque debet liber esse appositus legenti , & ipsius statui , virtuti , gratiæ , & aliis adjunctis convenire. In libris autem mysticis selectus faciendus est , qui enim hoc nomine circumferuntur , aliqui periculosi sunt , & proscripti , aliqui nimis obscuri , alii purè speculationi intendunt ; ex quibus lector , maximè non satis doctus , parum commodi & spiritus hauriet. Quare libri Candidato Theologiæ mysticæ congrui & accommodi erunt quoque illi , qui de fide , spe & maximè charitate , qui de Deo & perfectionibus divinis , qui de perfectione , item qui de tribus viis ad perfectionem nempe purgante , illuminante & uniente , pertractant. Repeto autem , maximè qui de  
cha-

charitate agunt, erunt utiles studioso  
hujus Theologiæ; charitas enim est fi-  
nis ejusdem, & ille solum meretur  
nomen Theologi mystici, qui mere-  
tur nomen amantis seu amatoris.

4. Ob in-  
constan-  
tiam,  
& aridi-  
tatem.

6. Quartò alii incipiunt studium  
Theologiæ mysticæ, sed mox desistunt;  
quia tactum mysticum non experiuntur,  
nec aliquem in puris fidei & charitatis  
actibus gustum percipiunt. Nimis du-  
rum & acerbum multis videtur in ora-  
tione per integrum horam consistere si-  
ne ullo gustu, & per diem assiduè ani-  
mo revolve Dei tum in nobis tum ex-  
tra nos præsentiam. Unde ipsi Theo-  
logi mystici tenent, quod in hujus scien-  
tiæ affectuonē sit maxima austoritas.

7. His respondeo, quod equidem  
verum sit, quod à principio maximè  
maxima sentiatur in hoc studio austeri-  
tas; quæ tamen successivè tollitur; &  
quod priùs videbatur acerbum, sit ipso  
usu amabile & delectabile. Non de-  
bet quælibet difficultas absterrere. Mag-  
num & maximum bonum est Theo-  
logia mystica, & digna est magno &  
maximo labore. Non enim non po-  
test velut in immensum crescere gratiā,  
fide, spe, charitate, meritis & præmio,  
qui aliquot annis Theologiæ mysticæ,  
etiam vulgari ( quæ est sine tactu my-  
stico

stico & in nostro , cūm gratia Dei ordinaria, stat arbitrio ) operam impedit. Nam ad minūs octo v. g. gradibus quotidie in gratia & charitate augetur ; quia ad minūs octo fidei & charitatis actus quotidie exercet. Hic ergo dico omnibus sacræ hujus scientiæ Candidatis , quod S. Pater in prologo sacræ Regulæ ad suos Religiosos Filios dixit & scripsit. *Si quid paululum restrictius dictante aquitatis ratione, propter emendationem vitiorum & conservacionem charitatis processerit, non illico pavore perterritus, refugias viam salutis, qua non est nisi angusto initio incipienda; processu vero conversationis & fidei, dilatato corde inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei.* Omne initium grave , & consequenter hoc etiam Theologiae mysticæ initium , sed progressus est suavis & terminus est suavissimus , & inenarrabilis dulcedinis.

8. Austeritas proinde , quam ponunt Mystici in contemplatione , debet prudenter capi & doctè exponi. Nam idè oratio & aspiratio contemplationis à Doctoribus mysticis opus nominatur *austerissimum*; quia contemplator , velut captivus & catenis vincitus , ad unum ligatur objectum : evagatio sensuum tum externorum tum internorum,

## 194 Diff. IV. De Proprietatibus.

& utriusque appetitus sentientis coërcetur: libertas voluntatis ad unum bonum amandum constringitur, & intellectus, nec non memoria ad unum verum considerandum & memorandum, nempe Deum, arctantur. Sed hæc ipsa austritas est contemplatori dulcis, hæc ligatio ad unum & captivitas omnium potestiarum ad Deum, ipsi est suavis, amabilis, & optabilior omni libertate.

5. Ob contemptum. 9. Quintò aliqui præsentis sæculi Scioli, tractatus mysticos nec oculo diginantur, vel omnino tanquam inutiles subsannant.

10. His quod scribam, aptius non invenio, quam quod scripsit Dionylius Carthusianus, cognomento Doctor Ecstatis, alteri Doctori religiosæ vitæ æmulo, his verbis: O quam parum agnoscis, quid operetur Altissimus in veris solitariis, quos abscondit in abscondito vultus sui à conturbatione hominum, & protegit eos à contradictione linguarum, quos dicit in solitudinem, ut loquatur ad cor eorum, quodrum mentes præstringit, & dicit eas ad gaudia silentii, ad diem, qui est sine tumultu, in regionem lucis immensæ, ad mysticas visiones & Theoria contemplationis sinceritatem, ita, ut in sanctæ Deitatis in aeterna Veritatis abyssum demersi, supernaturales fidei veritates, & ordinem crederem.

Art. VI. De Contemplatione verè mystica. 195

dendorum, ecclesiasticeque Hierarchia, infallibiliter clarius ac certius intueantur, quām ex scholastica notitia conspici queat. Nonne fortius est lumen gratiae quām natura: illuminatio quām exercitatio: supernaturalis inspiratio quam scholastica disputatio &c.? non ergo despicias talium scripta ac monita.

11. Sextò Author Scalæ Paradi- 6. Ob ne-  
si cap. 12. quatuor ponit causas, quae cessitatem  
retrahunt nos plerumque à contemplatione, &c.,  
de qua ibi sermo, scilicet inevitabilis ne-  
cessitas, honesta actionis utilitas, humana  
infrmitas, mundialis vanitas. Prima est  
excusabilis, secunda tolerabilis, tertia mi-  
serabilis, quarta culpabilis. Nam verè  
culpabilis est, qui ob vana hujus mun-  
di gaudia deserit ac spernit divina, quae  
sub contemplatione hauriuntur.

## ARTICULUS VI.

### De effectibus contemplationis verè mysticae.

1. Extraordinariæ contemplationis ef- Effectus ex  
fectus obiter & breviter expono;  
quia ferè ex præmissis colliguntur. Ita-  
que contemplatio verè mystica rapit  
mentem modo eminentiori quam vul-  
garis.

garis, ita, ut Deus, unitas, trinitas, attributa, & alia fidei mysteria velut clarissime & per experientiam conspiciantur. Quod quidem qualiter eveniat, sumitur ex dictis. Deus nempe extraordinarium lumen infundit, quo mens contemplatoris illustrata, longè aperi-<sup>3.</sup> tius Deum ac divina intelligit, quam homo imperfectus sibi possit imaginari.

## Mentis

2. Evidenter hic Deus non cognoscitur clare sicut in patria, hæ tamen duæ cognitiones assimilantur & comparantur. Et imprimis differt contemplatio verè mystica viæ à visione beata; quia hic Deus non videtur omnino clare, nec per intuitionem, nec quoad quid est seu essentiam, in cœlo autem clarissime quidditatirè & intuitivè conspicitur. Secundò hic Deus media specie cognoscitur, in cœlo autem Deus ipse illabitur mentibus Beatorum & vi-<sup>4.</sup> ces supplet speciei. Tertiò hic Deus cernitur lumine extraordinario trans-<sup>5.</sup> unte, ibi lumine gloriæ permanente. Quartò hic Deus immediate unitur voluntati, intellectu foras manente & no-<sup>6.</sup> titiam experimentalem emendicante à gustu voluntatis; in cœlo autem unitur prius menti & deinde voluntati. In sta-<sup>7.</sup> tu gloriæ mens primò attingit Deum & obtinet, in statu viæ voluntas. Equi-<sup>8.</sup> dem

dem Deus hic non tantum cognoscitur per negationem, sed per experientiam, in cœlo autem omnino per clarissimam intuitionem.

3. Conveniunt autem hæ duæ contemplationes, quia utraque est supernaturalis, utraque luminosa, utraque connexa cum ferventissimo amore, utraque post se trahens deliciosissimam fruitionem divinæ bonitatis immedia-  
te in seipsa.

4. Memoria in contemplatione *Memoria* mystica vel novas & extraordinarias species à Deo accipit per infusionem, vel existentes taliter dilponuntur, ut in eis non communi sed extraordinario modo Deus & divina traluceant. Cùm enim voluntas Deum in seipso gustet & contingat, in memoria consurgunt species Deum & ejus gustum per experien-  
tiam repræsentantes. Item memoria per influxum divinum redditur tranquilla & serena, nec non idonea ad exhiben-  
dum voluntati gustum de Deo habi-  
tum & ipsum Deum tali gustu immedia-  
te attractum. Quo sit, ut anima qua-  
si continuò rapiatur in Deum, abjectis  
aliis negotiis & toto mundo, ad illius  
conspicuum & gustum anhelans.

5. In his ergo cognitionibus, vi-  
sionibus & recordationibus oportet

quinq<sup>ue</sup> vel sex gradus ( velut innuit S. Thomas 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 1.) ponere & distinguere. Primus est, quando divina veritas per species imaginarias & proprio marte efformatas repræsentatur. Secundus est, quando Deus per species purè intelligibiles & à phantasmatis abstractas proprio conatu menti exhibetur. Tertius est, quando veritas divina per species aut cœlitus ordinatas vel de novo infusas & gratuitò communicatas revealatur. Quartus est, si per viam negationis & remotionis ab omni specie, quæ nobis inest aut per industriam vel infusionem, Deus ut incomprehensibilis & supra omnem species proponitur. Non quidem abest hic omnis species, sed Deus infinitè altior, quam species exhibit, indicatur. Quintus est, cùm Deus & infinita & incomprehensibilis magnitudo, bonitas & dulcedo per experientiam, quam ministrat voluntas divinam suavitatem degustans, agnoscitur. Sextus est, cùm mens Deum ut est in se per lumen gloriae transeunter communicatum, sine ullius speciei & imaginis interventu clarissime intuetur. Primi quatuor gradus liberaliter conceduntur personis Theologiae mysticæ studiosis, in quinto consistit

sistit Theologia & contemplatio verè mystica, sextus omnino rarissimus est, legitur tamen tributus Apostolo, qui raptus in tertium cœlum, ibi Deum ut est in te per lumen gloriæ transeunter communicatum conspexisse videtur, de quo tamen Patres & ex ipsis Doctores cum divo Thoma citato art. 3. adhuc contendunt. Hoc etiam singulare gratiæ privilegium videtur S. Gregorius lib. 2. dialogorum cap. 35. S. Patri Benedicto tribuere. Quia verò hic gradus contemplationis per se non est proprius viæ sed patriæ, ideo à Doctoribus mysticis non solet attendi vel explicari.

6. Interim dum mens contemplatione & notitia experimentali suspenderetur, voluntas præsupponitur per mysticam unionem, dilectionem, & fruitionem Deo intimè conjuncta & adstricta. Quare præcipuus effectus, quem Theologia mystica intendit, maximè consurgit & perficitur in voluntate, quæ per amorem fruitivum immediate degustat divinam bonitatem. Voluntas enim divino amore fervens altius caput effert quam̄ mens, & unio voluntatis dignitate longè excedit contemplationem mentis. Illa enim procedit à charitate, ista verò à fide & dono sapientiæ & lumine transeunte; constar autem

charitatem præcedere fidem, donum sapientiae & omnes virtutes. Hinc eriam amor, unio & gaudium mysticum magis assimilatur amori, unioni & gaudio beato, quam contemplatio mystica visioni & contemplationi beatæ. Contemplatio enim viæ non aspicit Deū sicut est, sed hoc reservatur patriæ & gloriæ: at verò amor & unio viæ Deum gustu dulcissimo percipit in seipso. Quare mens à voluntate quasi emendicat perfectam contemplationem; quia nequit per experientiam Deum agnoscere, nisi divinam bonitatem præguster voluntas.

*Virium  
inferiorum,*

7. Ad vires etiam inferiores se porrigit vis mysticæ contemplationis & unionis, & in sensibus tum externis tum internis, & appetitu sensibili varicos, effectus progignit. Quidam enim rapiuntur & alienantur à sensibus, ita ut externi omnino quiescant, & interni cum appetitu sensibili tam agant debiliter, ut non agere & à motu cessare videantur: & sic solus homo superior & apex mentis, sive mens & voluntas in aspectu & affectu divinæ bonitatis defiguntur. Ideo legitur quosdam Santos velut stipites & truncos vel tanquam inanimes statuas in contemplatione aut stetisse aut genua flexisse. Licet autem vi corpora eorum aut loco mota

mota vel etiā verberata , seu aliàs durè & dirè excepta sint; tamen pro illo tempore nullum dolorem percepérunt , vel saltem propter vehementiam contemplationis & inde manantis dulcedinis adverterunt : sed postea , cùm ad se redierunt , & è cœlo quasi in terram delapsi sunt , illatos corpori cruciatus senserunt.

8. Apud alios verò efficacitas contemplationis etiam in vires sentientes exundat , & omnes sensus mirè vel tormentantur & vexantur , vel reficiuntur & recreantur , ita , ut aliquando se contineant nequeant , quin exteriū prodant internum gaudium , & in motus & gestus insolitos erumpant. Ideò de Sanctis multis refertur , subito & repente vel sub oratione exclamasse , ejulasse , lachrymasse , vel in terras se abjecisse , huc , illuc discurrisse , manus complosisse , pedibus terram concussisse , & hujusmodi , contemplatione & unione mystica tales actus urgente & efficiente. Talia leguntur in vita S. Francisci , S. Aegidii & maximè S. Christinæ cognomento mirabilis , & aliorum Sanctorum & Sanctorum. Quin ex impetu spiritus aliquando actus exotici vel etiam in speciem mali eliciuntur , velut constat ex vita S. Simeonis Sali seu Stulti , qui se fatuū simulavit & multa secundū hominem

minem absurdissima egit. Animæ enim mysticæ non reguntur amplius humano consilio, sed altiori principio, nempe dono consilii & instinctu Spiritus sancti.

9. Alii tamen judicant contemplationem verè mysticam nunquam contingere sine ecstasi & raptu. Quia videtur repugnare, ut humana mens DEum suavissimo complexu stringat, quin hoc ipso præ amoris & dulcedinis magnitudine & excessu alias potentias à suis objectis avellat, & à suis operationibus suspendat. Cùm enim vires animæ sint finitæ, necesse est, si una potentia nimium intendatur, alias remitti. Quia ergo in contemplatione & mens in summa luce & voluntas summo calore in divinam bonitatem intimè præsentem & animæ blandientem & amplectentem suspenduntur, aliæ vires à suo motu debent cessare.

*& corporis*

10. Demum contemplatio etiam in ipsum corpus suas vires exserit, & aliquando ejus suavitas omnes poros corporis sic pervadit, ut subito humoribus malignis depulsis valetudo revertatur, & in plurimos annos sanitas firmetur. Sed (quod mirabile est) aliquando non sanitatem sed infirmitatem, non vitam sed mortem inducit. Cor enim prop-

propter dilectionis & consolationis magnitudinem nimis dilatatur, & apertis portis quasi dirumpitur. Evidem amor boni de se non est passio inferens laesio nem, si tamen nimium intendatur, & in corpus & cor effundatur, suaviter vulnerat & sauciat quandoque usque ad mortem. Et tam dulci morte defuncta est Virgo Mater, imo & alii quidam Sancti potius amoris quam ægritudinis vehementia succubuisse leguntur.

11. Ex praedictis etiam luculentे *Corolla-* colligitur, contemplationem verè mysticam nihil aliud esse quam *notitiam experimentalem divinæ bonitatis præsentis*. Voluntas enim prius intrat & Dei præsentiam gustat, intellectus vero stat foris & exspectat, donec voluntas introducatur in cellam vinariam & ad suavissimum sponsi osculum & complexum admittatur. Quo supposito primùm mens contemplatoris à cognitione per viam negationis assurgit ad notitiam experimentalem, quæ voluntas divinæ bonitatis præsentiam & infinitam dulcedinem percipiat.

12. Quare intellecta semel Theologia mysticā ordinariā & vulgariter nitur via plana ad intellectum Theologiae mysticæ extraordinariæ & verè mysticæ. Nam definitio Theologiae my-

sticæ diff. 1. art. 1. num. 2. & contemplationis diff. 3. art. 1. num. 1. accommodari potest & accommodatur Theologiæ mysticæ extraordinariæ, modo addatur experimentalis notitia seu cognitio. Similiter omnes divisiones ibidem & art. 2. & alia hac dissertatione & alibi disputata fere quadrant pro Theologia mystica extraordinaria, modò subintelligatur experientia, per hoc enim differunt hæc duæ Theologiæ & contemplationes, quod solum vere mystica cognoscat Dei præsentiam & ineffabilem bonitatem & dulcedinem per experientiam. Qui verò diligenter & constanter se exercuerit in Theologia mystica ordinaria, ne dubitet, quin sit obtenturus extraordinariam & hanc felicissimam divinæ bonitatis experimentalem notitiam & gustum mysticum, qui est prægustus æternæ felicitatis, & in quo hujus temporis beatitudo consistit.

13. Sic tum ad mentem Doctorum cum leges scholarum & Magistri Angelici explicantur fere dotes & fructus contemplationis mysticæ: sed hæc verba nobis imperfectis tenebrosa & sicca apparent; contrà perfecti contemplatores & animæ mysticæ, utut simplices & omnis litteraturæ expertes, tamen omnes doctos notitiâ experimentali & sapida dixinæ

vinæ bonitatis scientiâ excedunt. Hinc etiam perfectius & melius Deum ac divinam bonitatem ejisque præsentiam & dulcedinem melius, perfectius & lucidius præ doctissimis & profundissimis Scholasticis, non quidem reflexè & secundum acquisitam scientiam sed directe & secundum experientiam intelligunt. Felices animæ, quæ ista sciunt non scholasticè sed mysticè, non ex studio humano, sed ex inspiratione divina, non ex instructione hominis, sed Dei, non ex speculatione sed experientia & infusa sapientia.

## DISSERTATIO V.

### *De Theologia mystica erronea.*

#### ARTICULUS I.

*De hæresibus Beguardorum, Illuminato-  
rum, & maximè Quietistarum.*

##### I.

**D**iabolus se transformat in Angelagoge.  
lum lucis, & dum falsas ecstas-  
ses, raptus, locutiones, visiones, appa-  
ritio-

ritiones mentitur, rudes & incautos decipit, ni sedulò attendatur. Mysticus autem director non sinat se falli, velut etiam multis doctis & probis evenit: quia non est tam obvium & expeditum genuinam contemplationem ab adulterina discernere, sed opus hic est prudenter, discretione spirituum & maximè illustratione coelesti. Unde constat Theologiam mysticam minus sobrietè & non secundùm Ecclesiæ & Patrum dicta & scripta, edoctam & traditam, in gravissimos errores & perniciosas hæreses deflexisse. Icarus, ut Poëtæ fabulantur, cum nimis altrum penitus suis cereis ad solem volare præsumpsit, in aquas delapsus interiit. Sic etià Theologi mystici, dum propriis viribus, & sine prævia humilitate, in altum contendunt, in ima decidunt; & dum temerariè audent scrutari majestatem, opprimuntur à gloria. In historiis Ecclesiasticis tragica hic legimus exempla, à quibus discamus sapere non nimium, sed ad sobrietatem.

*Hæresis  
Beguar-  
dorum.*

2. Ortæ quoque sunt hæreses, quæ stultissimos errores hac in materia docuerunt. Annus circiter 1300. Beguados & Beguinæ vidit, qui se mysticos & mysticas jaëtabant. Sed doctrina eorum nequaquam fuit mystica, cælestis

stis & divina, sed humana, vana & diabolica. Nam præter alios errores docuerunt 1. hominem mysticum in præsenti vita tantam perfectionem acquirere posse, ut penitus reddatur impecabilis, & amplius in gratia proficerne queat. 2. Non teneri ad jejunium, ad orationem, ad obedientiam &c. 3. Posse in hac vita plenam beatitudinem obtinere &c. qui errores & alii enarrantur in Clementina de Hæreticis cap. 3. & reprobantur.

3. His anno circiter 1575. & postea iterum anno 1623. successerunt Illuminati. Illuminati, non à spiritu bono sed malo, qui talem sibi perfectionem arrogabant, ut dicere superbissimi & stultissimi homines auderent, quod nec bonis operibus, nec Sacramentis amplius egerent.

4. Demum anno 1680. Quietistæ orti sunt, Magistro Michaële de Molinosum. Sacerdote Hispano, quorum errores proscriptit Innocentius XI. qui bullam adversus Molinosum 12. Calendas Decembris anno 1687. vulgavit. Ad pleniorum autem Theologiæ mysticæ intellectum utile erit ipsas propositiones Quietistarum erroneas sub oculos ponere, interpretatione donare, & opportunitis documentis illustrare. Contraria enim juxta se posita magis elu-

ces-

cessunt; sic & veritates mysticæ ex falsitatibus mysticis, juxta positis, magis apparebunt.

5. Exscripsi autem has propositiones non quidem ex ordine & totidem verbis, sed quoad rem & sensum ex actis condemnationis Quietistarum & Bulla Innocentii XI. 28. Augusti & iterū 19. Novembris anno 1687. in qua damnat 68. omnino propositiones dicti de Molinos; ego autem pro bono Theologi mystici & solidiori hujus eminentissimæ scientiæ captu, subnectam propositionibus, nec confutationes polemicas, minus speculationes scholasticas, sed observationes ad usum pertinentes & asceticas. Nec enim finis hujus tractatus est scholasticè disputare; sed planam, securam, nullisque seu erroribus seu anfractibus obnoxiam viam ad solidæ contemplationis apicem demonstrare.

6. Prima propositio erronea: *Contemplatio vel oratio quietis, in eo posita est, quod quis, ubi se in Dei presentia per actum fidei obscuræ simplicis & amantis constituerit, in ea sine ullo vel rationis, vel voluntatis, vel alicujus alterius potentia actu otiosus permaneat.*

7. Observatio bene quidem & optimè fit, si contemplator se per fidem vivam, obscuram, simplicem & amorosam

M. I. De Harenfels  
dam in praefenti  
rebus, & in Deo v  
autique unum  
de suis attributis  
tempore & fundo ar  
tus & summittate si  
stus intimè ade  
derit iste diu &  
securus. At vero  
oscillatio diabol  
us neque, sed su  
cilius permanere.  
implatio orium  
et horae pura pr  
idexeo, quia p  
natur, & circa  
8. Secundu  
mentaria in De  
cimus illam actua  
rit. Scilicet tam  
ita via tempora  
rum revocari j  
vix se simul &  
temporum actus, &  
mutare. Una  
fittere.

9. Observa  
tio & place  
te divina &  
incerto & mu  
enim et ima

rosam in præsentia Dei constituat, & credat, se in Deo vivere, moveri & esse, Deumque unum & trinum cum omnibus suis attributis & perfectionibus in centro & fundo animæ, in vertice mentis & summitate spiritus & omnibus potentiis intimè adesse: bene etiam sit, si actus iste diu & longo tempore continuetur. At verò hoc malum est, hoc illusio diaboli est, hunc actum non prosequi, sed sine ullius potentiae actu otiosum permanere. Dicitur quidem contemplatio otium, non tamen eo sensu, ac si foret pura privatio & absentia actus, sed ex eo, quia purè circa Deum occupatur, & circa alia omnia otiatur.

8. Secunda propositio erronea. Reverentia in Deum debita reus est, qui primum illum actum iterato elicere tentaverit. Scilicet tam constans est, ut perduret toto vita tempore, nisi per actum contrarium revocatus fuerit; tantèque virtutis, ut in se simul & semel omnium aliarum virtutum actus, & quidem eminentiori modo, contineat. Unde sit, ut illum necesse non sit iterare.

9. Observatio. Deo reverentiam exhibet & placet, qui memoriam præsentiae divinæ & actum contemplationis iterato & multoties restaurat. Falsa enim est imaginatio, quod contempla-

210 Diff. V. De Contemplatione myst. error.

tio nec actionibus externis nec mentis evagationibus , nec somno , ( ut isti obli- quæ Theologiæ mysticæ Doctores som- niant ) interrupatur . Nunquid Pau- lus vitiosè ter Dominum rogavit pro auferendo carnis stimulo ? Nunquid Pe- trus malè ter suum amorem confessus & testatus est ? nunquid ipse Christus , Ma- gister & exemplar omnis perfectionis , imperfectè egit , dum in horto non se- mel sed ter Patrem oravit , ut ab eo ca- lix passionis transiret ? nihil ergo uti- lius , nihil ad perfectionem , ad unio- nem cum Deo , & Theologiæ mysti- cæ augmentum conducedit , quām sāpē ac frequentissimè contemplatio- nem iterare . Beatis datum est , uno con- tinuo actu sine ulla interruptione DE- um contemplari in omne ævum : nos verò miseri Viatores aliis rebus neces- sariò intenti , sāpē à contemplatione decidimus , ideoque necesse habemus , eam continuò revocare & instaurare ; & quò sāpiùs , hoc melius . Nostra videli- cet contemplatio celeriter transit , nec perdurat , nec juxta SS. Patres diu , ob hujus vitæ necessitates valemus in api- ce mentis consistere . S. Gregorius ex- emplo locustarum & piscium hoc aptif- simè declarat . Sicut enim locustæ ali- quantum à terræ levant & in aëre vo- lant ,

I. 31. mor.  
cap. 12.

Iant, sed mox delabuntur; & velut pisces in aqua saltant, & aliquantò se in æthera librant, sed mox iterum decidunt: sic etiam nos aliquantùm præcésè & parvo tempore levamur & libramur ad cœlestia per contemplationem, sed proprio pondere mox iterum ad terram relabimur. Felix illa anima contemplatrix, quæ volucrum instar, penitus sanctæ contemplationis diu se valet in aëre continere!

10. Tertia propositio erronea. Si ne contemplatione, quam meditatio adjuverit, ne passus quidem unus ad perfectionem fieri potest.

11. Observatio. Debet æstimari contemplatio, &c, quia est eminentissimus actus mentis in hac vita, meretur sumnam æstimationem, & maximè confert ad augmentum & perfectionem charitatis. Interim ad hoc etiam faciunt alia exercitia, velut oratio vocalis, examina, detestatio peccatorum & alia opera virtutum.

12. Quarta propositio erronea. Scientia sacra & ipsa etiam Theologia doctrina, impedimento est contemplationi; de qua non homines docti, sed ipsi duntaxat contemplativi judicium ferre possunt.

13. Observatio. Scientia, maximè divinarum Scripturarum, & Theologia

Att. II. Com.  
tim divinatam.  
ita & passim  
non contemplationis  
sunt. Unde cont-  
mptare removeant,  
ne possint, nisi  
possint.

212 *Diss. V. De Contemplatione myst. error.*  
logia adjumento sunt, ut quis in con-  
templatione progrediatur. Scientiae hæ-  
bonæ sunt & utiles ad perfectionem &  
salutem; abusus, arrogantia, superbia  
mala sunt. Theologus scholasticus po-  
test de ipsa contemplatione ex sacraum  
Litterarum pronuntiatis ferre judicium,  
& ad ipsum pertinet, errores detegere  
illusiones præcavere, regulas præscribe-  
re, modum exurgendi ad Theologiam  
mysticam demonstrare &c. Quia licet  
non habeat contemplationis tacitum, gu-  
stum & experientiam, habet tamen ho-  
rum scientiam. Falluntur ergo, qui  
solidam Theologiae doctrinam, utpote  
ex S. Scripturæ, Patrum, & Conciliorum  
fontibus haustam, contemnunt, & ve-  
lut inutilem aut omnino damnosam vir-  
tuti, perfectioni & saluti imperitè tra-  
ducunt. Sacra scientia est Theologia,  
& sacrum & sanctum reddit, qui hu-  
mili corde, recta intentione, pro Dei  
gloria & hominum salute eidem ope-  
ram navat.

## ARTICULUS II.

*Confutantur ulterius propositiones Quie-  
tistarum.*

I. **P**ropositio quinta erronea. *Perfecta  
contemplatio versatur circa ipsam tan-  
tum*

tam divinitatem. Incarnationis Dominica, vita & passionis Christi mysteria apta non sunt contemplationi objecta; imò illam impediunt. Unde contemplativi, ut ea à sua mente removeant, debent imprimis satagere; nec possunt, nisi veluti fugiendo, de illis cogitare.

2. Observatio. Perfecta contemplatio non versatur duntaxat circa divinitatem abstractè sumptam; sed perfectior est contemplatio, quæ respicit divinitatem cum trinitate personarum & omnibus attributis. Speculatio est pure scholastica, non mystica, quæ divinitatem separat à personis & attributis. Illa ergo contemplatio est plena & perfectissima, quæ Deum inspicit ut Bonum infinitum, ut interminatum pelagus omnis perfectionis, ut modo ineffabili & incomprehensibili unum & trinum. Nam hoc perfectior est contemplatio viæ, quo proximiùs accedit ad contemplationem patriæ; at vero Cœlites Deum non scindunt in partes, nec præscindunt, sed totum & integrum, ut est in se, aspiciunt. Consequenter etiam viatorum contemplatio hœc, per se loquendo, erit perfectior, quod plures unit & colligit in Deo perfections. Dixi tamen per se loquendos; quia nempe contemplatio viæ hœc est de se

pt. II. Conf.

214 Diss. V. De contemplatione myst. error.  
de se altior & perfectior, quò altiorem  
& perfectiorem gignit amorem, ad quem,  
ut sæpius jam monui, maximè atten-  
dendum & intendendum est. Si enim  
hic est altus, etiam contemplatio prac-  
tica erit alta, cui augmentum gratiæ &  
gloriæ respondet.

3. Quod verò additur : Incarn-  
tionis Dominica vita & passionis mysteria  
non esse apta contemplationi objecta, imò eam  
impedire, falsum est. Incarnatio enim  
& Passio Christi, item mysterium E-  
ucharistiae, convenientissima, utilissima  
& præcipua sunt ac esse debent nostræ  
contemplationis objecta. Quid enim  
Christus ? an non Deus ? an non Ver-  
bum incarnatum ? sed Deus & Verbum  
pertinent ad primarium Theologiæ my-  
sticæ objectum. In nullo mysterio in-  
effabilis & incomprehensibilis & verè my-  
sticæ ac recondita Dei natura, sicut  
etiam attributa & mirabiles relationes  
tam luculenter apparent, quam in Per-  
sona Salvatoris. An non perfectus Con-  
templator fuit Gentium & Theologiæ my-  
sticæ Doctor Paulus ? & hic tamen de  
se 1. Cor 2. v. 2. fatetur: Non enim ju-  
dicavi me scire aliquid inter vos, nisi JE-  
sum Christum & hunc crucifixum. Scilicet  
hac est vita æterna, id est medium ob-  
tinendi æternam vitam, ut cognoscant  
te so-

te solum DEum verum, & quem misisti  
JESUM Christum. Joani. 17. v. 3.

4. Quare impium prorsus est, dicere; quod homo deditus contemplationi imprimis satagere debeat, ut mysteria Salvatoris à mente removeat, & de illis cogitare fugiat. Nam potius contrarium faciendum & suadendum est animæ contemplatrici; quæ nihil debet sibi habere commendatius quam assiduo mente revolvere ac cogitare Christi dicta, facta & tollerata. Nihil enim ad amorem incendendum, ad perfectionem augendam efficacius, quam consideratiovitæ & Passionis Christi, ut passim tenent sancti Patres & Doctores. Notandum est tamen, quod contemplantes modo altiori & sublimiori meditentur Salvatoris mysteria, quam incipientes & imperfecti. Quia nempe in Christo non considerant pure Hominem & actiones ut pure humanas, sed ut Hominem Deum & actiones ejus ut theantricas. Quod bene observandum est contemplatori, ne videlicet unquam divinitatem à humanitate in Christo abstrahat, sed ambas simul objectum suæ contemplationis statuat sibique proponat. Dum ergo Christus nostræ considerationi objicitur, debet in ipso Corpore Christi supremus spiritus, & in ipsa

## 216 Diff. V. De Contemplatione myst. erron.

ipsa creatura Creator Verbum & Deitas per fidem repræsentari. Deus-Homo, ô quām sublime, quām utile, quām ineffabile, quām admirabile, quām de-liciosum animæ contemplanti objec-tum! Disputat de hac materia doctè S. Theresia à JEsu parte prima vitæ cap. 22. & duobus sequentibus.

5. Propositio sexta. Nec corporis macerationes, nec pœnitens vita, contem-plativis conveniunt. Hominis conversio non à purgationis & pœnitentiæ, sed à contem-plationis via incipere debet. Contemplati-vi devotionis sensibilis effectus, teneras cor-dis affectiones, lachrymas oculorum, & ea etiam animi solatia, quorum Spiritus san-ctus sit Author, contemnere & fugere debent, tanquam res, quæ contemplationem impe-dient.

6. Observatio. In vitiis Sanctorum contrarium prorsus legitur. Nulli enim majores corporis macerationes, graviora pœnitentiæ opera assumperunt, quām Viri sancti & animæ contemplatrices. Usus flagellorum, jejuniorum, cili-ciorum & hujusmodi, si prudenter ex-erceantur, disponunt, non impediunt contemplationem. Omnes nempe su-mus peccatores, omnes oiamus dimis-sionem peccatorum & debitorum, ju-stus etiam septies in die cadit: ergo om-nes

nes etiam justi egent pœnitentiâ. Nil hilominus alia est pœnitendi ratio in perfectis, quam imperfectis. Nam illorum pœnitentia procedit ex amore, ex contritione; horum ex timore & attritione. Illorum dolor est purus, vehemens, ardens ob fervorem charitatis & propter offendit infiniti Boni; horum ferè impurus & amori proprio admixtus, vulgaris, vehemens ob timorem gehennæ & divinæ justitiae.

7. Cæterum sensui omnium Patrum & Ascœlos Doctorum repugnat assertum, quod hominis conversio non à via purgationis & pœnitentiæ, sed contemplationis incipienda sit. Gratia enim communiter loquendo, non repente sed successivè illustrat, & ad verticem charitatis perducit. Velut in naturalibus successivè fit motus, & ab imperfectis progredimur ad perfectiora; sic etiam contingit in supernaturalibus, ad quæ non subito elevamur.

8. Præterea contemplantes malè agerent, si devotionem sensibilem, & animi solatia fugerent aut contemnerent; quæ utique, si à Deo & Spiritu sancto immittuntur, non possunt non esse bona, & ad contemplationem promovendam utilia? Contemplator equidem non affectat inordinate sensibiles

K generi-

218 Diff. V. De Contemplatione mystica &c.  
tetheritudines , & contritionis lachrymas ; sed tamen si eas accipit , gratias Deo agit , iis utitur ad Dei gloriam , ad amoris incrementum & contemplationis adjumentum.

9. *Propositio septima.* Perfecta & vera contemplatio uni Dei essentia , personis & attributis veluti spoliata , inharrere debet . Actus fidei erga Deum sic conceptum , perfectior est , magis meritorius quam accusus , qui circa Deum cum personis & attributis conceptum versatur .

10. *Observatio.* Falsitatem hujus dogmatis hic ad propositionem quintam jam ostendi . Nam imperfecta est contemplatio non perfecta , quae sic DEUM præscindit , & essentiam divinam personis & attributis spoliat . Has præcisiones Scholastici faciunt non Mystici , qui in totum Deum , ut est ineffabil modo perfectus , unus & trinus , feruntur .

11. *Propositio octava.* In contemplatione jam acquisita , anima cum Deo unitur immediatè : quamobrem ad eam planè inutilis est idea qualibet vel imago vel species .

12. *Observatio.* Quod est proprium contemplationi patriæ , nequit convenire contemplationi viæ ; at verò unio animæ cum Deo immediata fit in patria . Nam ibi Deus per seipsum illa-

illabetur mentibus Beatorum , & sine  
ullo velo se aspiciendum præsentabit.  
Dum autem in hoc mortali corpore ver-  
samur , opus habemus videri imaginibus  
& speciebus , ad minus spiritualibus ,  
in quibus velut figuris hieroglyphicis  
Deum ac divina contemplamur. Nunc  
enim pro statu viæ nostra cognitio est  
ænigmatica & symbolica ; quia videmus <sup>1. Cor. 13.</sup>  
nunc per speculum in anigmate. Conse-<sup>v. 12.</sup>  
quenter Deum in præsenti statu non in-  
tuemur nudè & absque specierum inter-  
ventu ; sed hæc beatitas alteri vitæ reser-  
vatur. Ut enim inquit S. Gregorius apud  
divum Thomam : *Quamdiu in hac morta-* <sup>2. 2. q.</sup>  
*li carne vivimus , nullus ita in contempla-* <sup>130. a. 5.</sup>  
*tionis virtute proficit , ut in ipso circumscrip-*  
*ti luminis radio mentis oculos infigat.*

13. Sed hic agitur controversia non  
incelebris , Theologos mysticos inter &  
Scholaisticos ; an verè mystica contem-  
platio perficiatur per solas species intel-  
ligibiles sine ulla conversione ad phan-  
taスマata , absque ullo sensuum ministe-  
rio , absque ullo virium inferiorum con-  
cursu ? Quæstio multùm subtilis & fe-  
rre scholastica , quam tamen dissimula-  
re nec debo nec possum. Cæterum  
anima contemplatrix non tristetur exin-  
de , quod ejusmodi speculationes fortè  
non sufficienter intelligat. Potest enim

220 Diff. V. De Contemplatione mystica &c.  
sublimis contemplatio haberi , quin re-  
flexè modus , qualiter fiat , cognoscatur.  
Meliùs est & beatius sentire contempla-  
tionem , quām ejus naturam scire.

14. Volunt ergo quidam Mystici ,  
quod in sublimi contemplatione non sit  
usus phantasmatis , nec ullo modo sen-  
sibiles vires operentur , dum apex men-  
tis elicit contemplationem . Ego tamen  
L. 2. q. 180. p. 5. ad 2. puto & dico cum S. Thoma : *Contempla-*  
*tio humana secundum statum praesentis vitaे* ,  
*non potest esse absque phantasmatibus.* Sub-  
dit postea : & hoc non solum in cognitione  
naturali , sed etiam in eis , quae per revela-  
tionem cognoscimus . Rationem etiam  
ibidem S. Doctor insinuat , nempe : *quia*  
*connaturale est homini , ut species intelligi-*  
*biles à phantasmatibus abstrahat , per con-*  
*versionem ad ea intelligat , & in ipsis con-*  
*templetur puritatem intelligibilis veritatis.*  
Nam quoque anima corpori , materiæ  
& sensibus immergitur , ab eis in intel-  
ligendo dependet , nec potest aliquam  
mentis operationem efficere absque il-  
lorum auxilio & ministerio . Angelo-  
rum siquidem est , non hominum intel-  
ligere per species à sensibus non abstrac-  
tas sed infusas , quod homini pro statu  
viæ non competit .

ARTI-

## ARTICULUS III.

### CONTINUATIO.

1. **P**ropositio nona. *Omnes contemplati in ipsa actuali contemplatione tam graves patiuntur labores & cruciatus, ut Martyrum labores non adaequent modò, sed etiam superent.*

2. **O**bservatio. Hæc assertio exotica planè est, & naturæ contemplationis prorsus adversa, utpote, quæ à mysticis Doctoribus habetur amœna, jucunda & delitiosa præ omnibus delitiis præsentis vitæ. Qui enim fruitur contemplatione, fruitur pace & gaudio in Spiritu sancto, quod omnem sensum exsuperat & transcendent. Nihilominus in contemplatione præsenti non est gaudium plenum; quia Deus non cognoscitur plenè, sed obscurè tantum & per symbola specierum. Unde contemplator aliquo modo affligitur, quia non tantum Deum cognoscere valer, quantum desideraret & optaret. Item cruciantur, quia non potest Deum tam intensò & perfectò amore prosequi, quanto eum dignum judicat & agnoscit. Pariter non abnuitur, quin magna sit afflictio contemplari sine ullo gusto tum spirituali tum sensibili. At verò absurdum est,

222 Diff. V. De Contemplatione mystica &c.  
dicere, quod ejusmodi labores & dolores Martyrum poenas adaequent vel omnino superent. Maximè cum hos labores & dolores sustineat contemplator animo volenti, & libenti, & ad divinam voluntatem respicienti.

3. Propositio decima. Cum offeratur Missa Sacrificium, dum Sanctorum festa celebrantur, satius est inhærente actui puræ fidei & contemplationis, quam ad ipsa Sacrificii mysteria, & ad Sanctorum & varias illorum vita circumstantias attendere.

4. Observatio. Hæc sententia jam à Clemente V. in Concilio Vieñensi proscripta est, ut habetur in Clementina de Haereticis cap. 3. ubi haec propositio octava reprobatur: *Mystici in elevatione Corporis Iesu Christi, non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere: afferentes, quod esset imperfectionis ejusdem, si à puritate & altitudine sua contemplationis tantum desiderarent, quod circa ministerium seu Sacramentum Eucharistiae, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.* Nihil altius, nihil excellentius Sacrificio Missæ, in quo Deus ipse & Filius Dei pro Dei gloria, pro mundi salute & omnibus mundi peccatis mysticè se immolat & immolatur. Quid Deo majus, quid sublimius? at vero in Missa Deus Homo & Verbum incarnatum est Sa-

cer-

Art. II. Continua  
cordos & Sacrifici  
m; quid ergo m  
licare potest con  
seruando myste  
rillat & atend  
s, Homo ne  
fetus, non myth  
ebus est, qui e  
Beatos, qui ec  
higunt. O qua  
in Deo absolu  
un, ut est, & c  
unitatis perfecti  
immensem flag  
cordio! unde v  
placor inclamat  
nos, etiam infi  
parocinio sibi  
excent. Con  
Beatos, sed non  
facto, sed emi  
facto: quia in  
mine politus a  
felliū & in te  
illorum preci  
quidem fecerū  
perfectissimi

6. Pra  
fertos Sanctis  
Breviario inf  
cathedra lau

cerdos & Sacrificium, victimans & victima; quid ergo majus, quid eminentius facere potest contemplator, quam si huic tremendo mystero attonitus ac tremens assistat & attendat.

5. Homo non perfectus, sed imperfectus, non mysticus, sed arrogans & superbus est, qui recusat invocare Sanctos & Beatos, qui eorum patrocinia non efflagitat. O quam feliciter illi a Deo & in Deo absorventur! quam aperte DEum, ut est, & consequenter omnes divinitatis perfectiones intuentur! O quam immensum flagrant divinæ charitatis incendio! unde verus & humilis contemplator inclamat Cœlites, etiam minimos, etiam infimum, rogatque, ut suo patrocinio sibi donum contemplationis exorent. Contemplator ergo invocat Beatos, sed non modo vulgari & imperfecto, sed eminenti, humillimo & perfecto: quia in ipso contemplationis lumine positus ad eos se vertit, ac se miscellum & in terra repente vermiculum illorum precibus commendat. Quod quidem fecerunt Sancti, hodieque faciunt perfectissimi Contemplatores.

6. Præterea saluberrimè Ecclesia festos Sanctis dies constituit, virtas eorum Breviario inseruit, ac virtutes illorum de cathedra laudari præcepit. Nam his om-

224 Diff. V. De Contemplatione mystica &c.  
nibus verus contemplator amplius in contemplatione promovetur. Dicit enim ex illorum vitis puritatem festari, virtutes prosequi, seque in profundum humilitatis demergere, cum suam vitam Sanctorum vitae opponit. Quid Sancti non fecerunt, ut ad contemplationis & perfectionis cacumen evaderent? Nos autem nihil arduum, nihil durum aggredi volumus; & tamen ad eandem sublimitatem eluctari contendimus! secundum exemplar, quod Sancti tibi demonstrant, & evades per divinam gratiam, quod illi evaserunt.

7. *Propositio XI. Librorum spiritu-  
alium lectio, prædicatio verbi divini, ora-  
tio vocalis, Sanctorum invocatio, impedi-  
mento sunt contemplationi & orationi, que  
oratio affectus dicitur; cuique nulla adhiben-  
da est præparatio.*

8. *Observatio. Assertum hoc gran-  
dem sapit superbiam, à qua nemo remo-  
tior animâ contemplatrice; quæ nomi-  
natis rebus maximè ad perfectionem &  
orationem affectus juvatur. Nam lectione  
librorum spiritualium, præprimis Scrip-  
turæ, prædicatione, oratione vocali &  
Sanctorum invocatione se elevat ad fer-  
ventem & affectuosam contemplatio-  
nem. Si languet, si tepet, si torpet in  
actu contemplationis, excitatur, accen-  
ditur*

Art. III. Conta-  
diri premillie-  
niora ad inthan-  
mena. Lectio  
habent se ut fol-  
ciatur, flamm-  
amoris igne ex-  
9. Quia  
vitis litteris no-  
minam non im-  
dose se præpar-  
te virz, record-  
& illis virtutun-  
tionem. Quo-  
dencior, hoc  
postulat dispoli-  
ti forma est su-  
sequenter nobil-  
tiones. Deum  
munem oratio-  
paratione. An  
tentationis di-  
man oracione  
no, imparatu-

10. Pro-  
tincta Sacra me-  
& contemplati-  
charifia com-  
funt in via actis  
meditationis,

11. Ob-  
grandiorema-

ditur præmissis ; nulla enim opportu-  
niora ad inflammandum affectum instru-  
menta. Lectio enim & oratio vocalis  
habent se ut folles, quibus voluntas sus-  
citur, flammarum concipit, & dulci  
amoris igne exardescit.

9. Quia vero contemplator ex di-  
vinis litteris novit, quod in malevolam  
animam non intret donum sapientiae, stu-  
diosè se præparat contritione, purita-  
te vitæ, recordatione divinæ præsentiae  
& aliis virtutum operibus ad contemplan-  
tionem. Quod altior est forma ac emi-  
nentior, hoc plures ac excellentiores  
postulat dispositiones; atqui contempla-  
tio forma est suprema, nobilissima : con-  
sequenter nobilissimas exiget præpara-  
tiones. DEum quasi tentat, qui ad com-  
munem orationem accedit sine ulla præ-  
paratione. An ergo non magis reus erit  
tentationis divinæ, qui ad sublimissi-  
mam orationem, qualis est contempla-  
tio, imparatus se conferre audet.

10. Propositio duodecima. Paenit-  
tentia Sacramentum animabus interioribus  
& contemplativis necessarium non est ante Ev-  
charistia communionem, sed iis tantum quæ  
sunt in via activa, quæque adhuc incumbunt  
meditationi.

11. Observatio. Præsens assertum  
grandiorem adhuc olet superbiam. Om-

226 Diff. V. De Contemplatione mystica &c.  
nes peccamus: ergo omnes egemus pœnitentiâ, non solum ut virtus est, sed etiam ut Sacramentum est. Quia à Christo in remedium peccatorum, quibus, ut dixi, etiam contemplatores obnoxii sunt, misericorditer institutum est. Nemo dignius (si tamen ullus propriè dignus est) S. synaxin sumit, quam contemplator; & hinc nemo exactius se illo præparat. Unde si levem maculam notat, perhorrescit, ad Christum, immensam puritatis abyssum, accedere, nisi ante Sacramento pœnitentiæ ablutus. Viri sanctissimi & in vita contemplante perfecti leguntur quotidie, vel altero die, vel quater aut tribus vicibus in septima na confessi, & nos peccatores judicemus, velut hoc Sacramento non indigeamus? hoc ipso, quod taliter judicemus, quam maximè egemus; quia homines sumus inflati superbiâ; quod vitium, cum sit caput & fons omnium vitiorum, semper magnam secum vitiorum catervam trahit. Contemplator itaque cum præ aliis humilis sit, præ aliis credit se peccatorem, & præ aliis credit sibi necessarium esse Pœnitentiæ Sacramentum. Ad quod confidenter fugit, ibique cum multis lachrymis & ingenti contritione sua minima peccata reueiat, ac si maximorum criminum reus

Art. IV. Cont  
tens existeret,  
quas poret man  
ejo, quo ab om  
nibus, quo puri  
ficiam, quo loti  
contemplatione &  
presentiam,

ARTI

CON

1. Propositio  
Meditatio  
n, sed lumine &  
veritate: unde r

2. Obser

Philosophica p  
Christianæ; h  
spiritus dei luce  
tinoria. Qual  
anorum differen  
tiorum, sicut  
naturali? absu  
ditatio res el  
pria, magni  
ciz. Nam  
tem, ad chap  
ad contemp

3. Prop

qui semel se e

reus existeret. Gratias Christo agit, quas potest maximas pro salutari lavacro, quo ab omnibus foribus emundamur, quo puritatem animæ conservamus, quo loci fidenter nos Deo in contemplatione & communione sistimus & præsentamus.

## ARTICULUS IV.

### CONTINUATIO.

1. **P**roposito erronea decima tertia.  
Meditatio Deum non respicit fidei luce, sed lumine naturali, licet in spiritu & veritate; unde nullius est coram Deo meriti.

2. **O**bservatio. Alia est meditatio Philosophica pure, alia Theologica & Christiana; hæc autem sicut Deum respicit fidei luce, non potest non esse meritaria. Qualiter meditationes Christianorum differunt à meditationibus Ethicorum, si ambæ perficerentur lumine naturali? absit, ut hoc sentiatur. Meditatio res est sancta, Christianis propria, magni meriti, nec minoris efficacia. Nam rectè continuata ad virtutem, ad charitatem, ad perfectionem, ad contemplationem perducit.

3. **P**roposito decima quarta. Is, qui semel se dedit contemplationi, redire

228 Diff. V. De Contemplatione mystica &c.  
non debet ad meditationem: alioquin à me-  
liori in pejus proficeret.

4 Observatio. Hæc propositio re-  
pugnat experientiæ & rationi. Doce-  
mur nimis apertè, quod non possimus  
semper contemplationi vacare, sed ali-  
quando tepeamus, frigeamus. Quid  
autem facimus tempore hyemis & frigo-  
ris? accendimus ignem, nosque calefa-  
cimus. Sic etiam in vita spiritu's proce-  
dendum est; tempor & frigus animi me-  
ditatione pellendus ac expellendus est.  
*Pl. 38. v. 4.* Nam in meditatione exardescit ignis. A  
dæmone ergo illuduntur, qui sibi per-  
suadent, quod nunquam habeant opus  
meditatione, qua se excitent & ad con-  
templationem luctollant. Hinc Author  
de Scala Paradisi contemplatorem sapi-  
enter instruit cap. 11. his verbis: cum  
verò mentis humanae acies infirma veri lumi-  
nis illustrationem diutius sustinere non pote-  
rit &c. leviter & ordinatè ad meditatio-  
nem, lectionem vel orationem, de qui-  
bus ibi sermo descendat. Evidem fa-  
teor, illos, qui toto die se occupant,  
spiritualia legendo, orando, horas ca-  
nonicas recitando, dum ad meditatio-  
nem accedunt, vix opus eâ habere. Un-  
de taliter dispositis suadetur omnino, ut  
meditatione reicta statim ad contem-  
plationem transeant, & huic unicè ope-  
ram

Art. IV. Contin  
ram impendant  
5. Propos  
tempore contemp  
nterestis &  
lagentum non  
cognitionem est  
destitutum est  
6. Obler  
io scandalosum  
liciti esse deben  
tibus & inordi  
sum præbeamu  
uni. Circuit Dia  
led huic manda  
Intem contem  
bus medium &  
sopandi. Qu  
tellectu & affect  
bus viribus ad  
sum desideriu  
nihil appetunt  
Unde tentatio  
tu ad pertam.  
7. Propos  
tio nec affectu  
ni producta fu  
sat Deo placet  
cultur, quorū  
tencion, & an  
plicationem, &  
fuerint, Unde

ram impendant.

5. Propositio decima quinta. Si tempore contemplationis accident cogitationes terrestres & animales, de iis expellendis satagendum non est, nec ad aliquam piam cogitationem est recurrendum: sed econtra delectandum est in eo cruciatu.

6. Observatio. Assertum profecto scandalosum & impium. Utique solliciti esse debemus, ne pravis cogitationibus & inordinatis moribus consensum praebeamus? scelus est in eis delectari. Circuit Diabolus tanquam leo rugiens, sed huic mandamus resistere fortes in fide. Interim contemplatores expedictum habent medium concupiscentiae flamas sopiendi. Quid faciunt? Deo uni intellectu & affectu & appetitu & omnibus viribus adhaerent, & in eo omne suum desiderium expletant; & hinc aliud nihil appetunt, affectant, desiderant. Unde tentationes ad ipsos, velut fluctus ad petram, colliduntur.

7. Propositio decima sexta. Nec affectio nec affectio interior, licet cum reflexione producta fuerint virtute pura fidei, possunt Deo placere: quia ex amore proprio nascuntur, quoties ante omnem mentis operationem, & ante omnium ex parte nostra applicationem, a Spiritu sancto inspirata non fuerint. Unde in contemplatione vel in oratione

830 Diff. V. De Contemplatione erronea.

tione affectuum, permanendum est in otio & in actione: & sic exspectanda est miraculosa Spiritus sancti inspiratio.

8. Observatio. Actus fidei à justo elicitus non potest non DEO placere. Vanum autem & falsum est illud Quietistarum principium, quod otiosi & nihil agendo debeamus inspirationem, tactum mysticum, & inactionem divinam expectare. Non enim otando & nihil boni agendo, sed opera virtutum, maxime fidei & charitatis, exercendo ad tactum mysticum aptamur & præparamur. Quod magis & sollicitius ad bonas actiones incumbimus, hoc magis à vietiis recedimus, in gratia & charitate proficimus, & consequenter ad Deum & Dei unionem accedimus. Illusio ergo est diabolica, otari sub oratione quietis. Nam hæc quies dicitur, non quasi nihil in ea ageretur, sed quia homo in oratione quietis positus in uno Deo mente & voluntate defigitur, semotus ab omni creatura. Quiescit ab omni motu versus creaturam, sed tamen movetur quam maximè tum actu fidei tum actu dilectionis.

9. Cæterum anima contemplatrix, licet quoad apicem mentis sit maximè in motu; regiones tamen inferiores & sensus ut plurimùm moventur placidè, non impe-

10. Proprietas ejus actus contemplationis quietis; in familiis vel a nobis tunc oportet mandata non interrupat.  
11. Obleto rursum datum in Viennensi, de Hæreticis cœteria Beguardi illi qui sunt in & sicut libertati obedientia electa obligant spiritu Domini

imperiosè: unde phrasí Mysticorum dicuntur *quiescere*, non quasi ab omni motu, sed tantum à nimio cessarent. Nimia enim & vehemens commotio sensuum communiter potius est impedimento quād adjumento contemplationi, in qua spiritus effervescit, corpore ut plurimum in statu tranquillo manente. Excepitur casus quo contemplatio se effundit in corpus, ubi sensus etiam suo modo versus Deum exardescunt. Nempe effervescentia corporis, quæ à tactu mystico gratia & contemplatione descendit, eandem promovet, secus, quæ à natura & amore proprio egreditur.

10. Propositio decima septima. *Quisquis est actu in contemplatione vel in oratione quietis; sive Religiosus sit sive filius-familias vel alio modo alteri subjectus, non debet tunc obedire regula, nec Superiorum mandata servare, ne contemplationem interrupat.*

11. Observatio. Hæc proposi-  
tio rursus damnata est à Clemente V.  
in Viennensi, ut in citata Clementina  
de Hæreticis cap. 3. refertur, ubi hæc  
tertia Beguardorum gnome proscriptitur:  
*Illi qui sunt in predicto gradu perfectionis  
& spiritu libertatis, non sunt humanae sub-  
jecti obedientia, nec ad aliqua præcepta Ec-  
clesia obligantur: quia (ut asserunt) ubi  
spiritus Domini, ibi libertas.* Con-

232 *Diss. V. De Contemplatione erronea.*

Contrarium ergo proorsus docuerunt tum  
verbo tum facto viri & fæminæ proba-  
tissimi spiritus. Lapis enim Lydius ha-  
betur à sanctis Patribus & Doctoribus  
obedientia. Si namque vera est il-  
luminatio ad humilem submissionem  
inclinat, fucata verò ad superbam re-  
pugnantiam. Unde legimus de sanctis  
animabus, quod ex obedientia statim  
omiserint contemplationem, & ipsum  
JESum sibi apparentem dereliquerint,  
ut vocem obedientiæ sequerentur. Spi-  
ritu sancto non aguntur, qui spiritu ino-  
bedientiæ; hic enim non à bono sed ma-  
lo spiritu est.

12. *Propositio decima octava.* Con-  
templativi ita immunes esse debent à rerum  
omnium affectu, ut à se longius repellant  
& aspernentur ipsa Dei dona, ipsos Dei  
favores, & ut ipsarum etiam virtutum a-  
more seipso exspolient. Tandem, ut ab  
omnibus rebus liberi sint, ea etiam debent  
agere, quæ modestia & honestati repugnant;  
modò tamen ex iis non sint, quæ decalo-  
gi præceptis expreßè adversantur.

13. *Observatio.* Pro Dei donis  
& favoribus gratiæ agendæ sunt; ab-  
sist, ut illos repellamus vel omnino as-  
pernemur. Nemo intensius amat vir-  
tutes, quam contemplator, qui ex lu-  
mine divino earum precium optimè no-  
vit.

Art. IV. Com-  
vit. Qui enim  
am virtutes, q  
& quorum exe-  
cute gratissima  
est, quod con-  
ordinat esse vi-  
Deus relit; se  
adoptione fe-  
mat.

14. Certe  
ndeſſor conce-  
non ſolū animi  
divina regit ſa-  
Ecclesiastes ca-  
Loquientia homini  
dolum eft agi-  
ſua & honestati  
go tanquam b  
perfectionis sta-  
datur?

15. Prop  
ponea. Con-  
tin excessus pa-  
natur uſus libe-  
gratissima pec-  
cata tamen eorū  
quæ ſunt egeri  
que Job exem-  
plari proximis  
phenomenis in D  
perdidat; & eo

vit. Qui enim amat Deum, amat etiam virtutes, quae maximè placent Deo, & quarum exercitatio ei non potest non esse gratissima. Interim hoc verum est, quod contemplator non velit inordinate esse virtuosus, & amplius quam Deus velit; sed etiam in ipsa virtutum adiectione se divinæ voluntati conformat.

14. Cæterum nemo honestior & modestior contemplatore, utpore, cuius non solum animam, sed etiam corpus divina regit sapientia. Unde de hoc Ecclesiastes cap. 8. v. 1. pronuntiat: *Sapientia hominis lucet in vultu ejus.* Vitiolum est agere aliquid, quod modestia & honestati repugnat; quam fatuè ergo tanquam bonum & perfectum & ad perfectionis statum pertinens, conimentatur?

15. Propositio decima nona eronea. Contemplativi nonnunquam tantos excessus patiuntur, ut omnis eis adiatur usus liberi arbitrii: ita, ut cum in gravissima peccata exterius incident; interiorius tamen eorum minime rei sint. Unde, quæ tunc egerint, confiteri non debent. Idque Jobi exemplo confirmatur: scilicet cum injuriis proximum lacefferet, imò & blasphemias in DEum evomeret, nullo modo peccabat; eo quod ea omnia violento dæmonis

Art. V.

234 Diff. V. De Contemplatione erronea.

monis impulsu perageret. Apta verò non est Theologia scholastica aut moralis, ut de iis violentis statibus iudicium ferat: sed opus est supernaturali spiritu, qui in paucissimis reperitur, & in quibus non de interiori per exterius, sed potius de exteriori per interius iudicandum est.

16. Observatio. Hujus propositionis impietas de se liquet, ut proinde exsplicatione non egeat. Januam enim aperit, & viam pandit omnibus & turpissimis flagitiis, quæ Theologi mystici non dico perpetrare sed etiam nominare abhorrent. Omitto alias propositiones enarrare & confutare; quia ex his, spero, sufficienter vera mystica Theologia ab erronea secerni potest.

## ARTICULUS V.

### CAUTIONES.

I. Mode. I. Cautio prima. Moderati operatio desideriorum in anima, ter desideria, quæ videntur, & etiam sunt bona, sed propter immoderationem fiunt & evadunt mala. Quædam enim animæ præfervidæ, volunt statim apicem contemplationis contingere; sed imprudenter & præsumptuose. Non debemus majorem perfectionem nec altiorem contemplationem

nem

nem velle , nisi quam Deus vult ; di-  
vina voluntas debet esse regula nostræ  
voluntatis , omnisque desiderii. Latet  
hic amor proprius : quia non pure vo-  
lumus propter Deum sed propter no-  
strum commodum esse perfecti ; & in  
hoc voto non tam Dei bonum quam  
nostrum quærimus & intendimus.

2. Cautio secunda est iterum pro & 2. in  
animabus præfervidis & juvenibus , corpore  
qui nimiis , etiam in corpore , ebulli-  
liunt desideriis & commotionibus. Ta-  
les , ni prudenter agant , corporis &  
anima pericula incident. Nam ve-  
hementibus pectoris ac thoracis con-  
cussionibus cor in suo motu turbatur ,  
sanguis in sua circulatione agitatur &  
nimiū concitatur , & totus corporis  
habitus violente immutatur. Ex quo  
capitis debilitas aut dolores , stoma-  
chi eructationes , sanguinis ebullitio-  
nes , ægritudines & totius sanitatis de-  
structio. Nempe velut divinitus im-  
missa contemplatio valetudinem con-  
servat & auger ; sic humanitus extor-  
ta & coacta sanitatem lædit & omni-  
no corruptit. Opus est gratiae divi-  
næ contemplatio , non fructus indu-  
striæ humanæ.

3. Cautio tertia , qui se dat Theo- <sup>3. præ-</sup>  
dentalia ,  
logiæ mysticæ , debet esse prudens , humilitas  
hu &c.

## 236 Diff. V. De Contemplatiue erronea.

humilis & mediocriter saltem doctus , vel alterius magisterio & directioni se committere. Nisi enim prudens sit , facile ab insidiatore dæmone circumvenietur , & in errores , defectus ac pericula animæ præceps agetur. Deus autem non superbis , sed humilibus dat gratiam , nec revelat arcana Theologiae mysticæ sapientibus & prudentibus hujus sæculi , sed parvulis & humilibus. Hinc etiam inter fundamenta & principia superius diff. 2. art. 4. posui humilitatem. Doctrinam autem exigo , saltem mediocrem , vel humilem subjectionem ad spiritualem Magistrum itidem propter insidias diaboli , & naturæ & carnis æstus & astutias ; quas ægrè simplices & rudes notabunt , nisi humiliiter se dedant alterius directioni. Si autem congruus Magister ( quod frequenter contingit ) haberi non possit , nequaquam desperandum est : quia tali eventu Spiritus sanctus vices externi instructoris supplebit. Non errabit simplex etiam & illiterata anima , si à communibus Ecclesiæ principiis , quæ solent tradi in catechesi , de fide , spe , charitate , oratione , Sacramentis , justitiæ & misericordiæ operibus &c. nō recedat

4. Videtur quoque mihi , nostris & prioribus sæculis divinam providentiam ,

iam , quæ om̄i-  
lifponit , de lib-  
do , communi-  
manibus , provi-  
& monia , si an-  
docta , sequac-  
templationis fini-  
let. Et quisna-  
lis ? ubi terrar-  
iòt? nam decre-  
mplo comparata  
ere , considera-  
im habeas : no-  
iū libellum de  
nnium Sancto-  
no & omnijum  
anus est. Lice-  
bus viam unien-  
scam tradere  
adicio eriam p-  
um , septimum  
si secundi cap-  
tu Theologiae  
timis quadrant-  
andum tamen  
ut metonymia-  
tionem , mod-  
ificationem , n-  
odo amorem ,  
modo locutio-  
revelationem ,

tiam , quæ omnia suaviter & fortiter disponit , de libello captu facilis , solido , communi , qui omnium teritur manibus , providisse , cuius doctrinam & monita , si anima , etiam plebeja & indocta , sequatur , ad verticem contemplationis sine lapsu periculo evadet . Et quisnam , ait , est hic libellus ? ubi terrarum invenitur ? quis author ? nam decretum est mihi hunc ex templo comparare , assiduo legere , evolvere , considerare . Suppono , quod jam habeas : non enim alium intelligo , nisi libellum *de Imitatione Christi* , qui omnium Sanctorum & Doctorum , in modo & omnium fidelium sensu approbatus est . Licet autem totus liber tertius viam unientem & Theologiam mysticam tradere censeatur ; meo tamen judicio etiam primum , tertium , quartum , septimum , octavum & nonum libri secundi capita animabus mysticis , seu Theologiae mysticæ studiosis , praëprimis quadrant & convenienter . Notandum tamen est , quod hic Author per metonymiam appellat contemplationem , modò gratiam , modò consolationem , modò devotionem , modò amorem , modò divinum susurrum , modò locutionem , modò secretorum revelationem , modò dulcem tractio nem ,

238 Diff. V. De Contemplatione erronea,  
nem, modò aliis nominibus & titulis  
honoret.

4. Con-  
stantia.

5. Cautio quarta. Quædam ani-  
mæ incipiunt aspirationes ; meritis fere  
actibus fidei , spei & charitatis & mo-  
tibus anagogicis omne tempus oratio-  
nis bene influmunt ; affectum charitatis  
per quadrantem & fortè ulterius conti-  
nuare jam assuescunt. Sed postea in-  
constantes & à diabolo vel natura cir-  
cumventi orationem affectionis dere-  
linquunt , & quasi hæc non foret op-  
tima , alium modum assumunt , qui  
ipsis amoenior & jucundior videtur , sed  
nequaquam est utilior , melior & ex-  
cellentior. Nihil perfectior charitate :  
ergo nulla oratio oratione charitatis po-  
ret nobilior inveniri. Perseverandum  
ergo & pulsandum , ut in hac metho-  
do orationis amplius proficiamus . Per-  
severantia coronat opus.

5. Confi-  
dentia.

6. Cautio quinta. Aliqui prorsus  
diffidunt , & quia insolitas illustratio-  
nes & dulcedines experiuntur ; animo  
dejiciuntur , & arbitrantur , se non ve-  
ros actus supernaturales tum charitatis  
tum alios exercere. Profectò diffiden-  
tia hæc noxia est spiritui & profectui.  
Non est illusio , monet sapienter aureus  
libellus lib. 3. cap. 6. quod aliquando in  
excessum subito raperis & statim ad solitas  
inep-

ARTI

Riflexio &

1. Scienzia p  
gia my  
et ulius apud  
ad ultim proce  
sequentiis co  
derat in The  
debet primò l  
tam, nobilitas

ineptias cordis reverteris. Illas enim invi-  
tè magis pateris quàm agis : & quandiu  
displacent, & reniteris, meritum est &  
non perditio. Evidem non scimus,  
utrum verè amemus Deum, sed tamen  
confidenter speramus & supponimus di-  
vinæ gratiæ adjutorium, influxum, &  
concursum, si ea faciamus, quæ Deus  
nobis præcipit & præscribit. Quare  
se ponatur ista dissidentia & ab oratio-  
ne affectionis & quietis non cesseret,  
donec vira hæc misera cesseret.

7. Omirto plures alias cautiones,  
quas ex præmissis hinc inde pronum est  
colligere ; maximè autem propositio-  
nes Michaëlis de Molinos falsæ sua fal-  
sitate docent, quid verè studioſo The-  
ologiæ mysticæ cavendum sit.

## A R T I C U L U S VI.

### *Reflexio & usus doctrina tradita.*

1. **S**cientia purè speculatrix Theolo-  
giæ mysticæ parum juvat, nec  
est ullius apud Deum meriti : quare  
ad usum procedendum est, qui ferè in  
sequentibus consistit. Unde qui desi-  
derat in Theologia mysticæ progredi,  
debet primò se examinare, an natu-  
ram, nobilitatem, utilitatem, & ingen-  
tia

*Reflexio  
in ordine  
ad usum  
doctrina  
tradita.*

240. Diff. V. de Contemplatione errore.

tia bona Theologiae mysticæ sufficien-  
ter capiat ? an desiderio hujus divinis-  
simæ sapientiæ ardeat ? an firmiter de-  
creverit , se totum & totis viribus cum  
electione & usu mediorum eidem dare  
& consecrare ?

2. Secundò , an per viam purga-  
tionis & illuminationis se ad hanc The-  
ologiam pro modo gratiæ se dispo-  
suerit & prepararit ? An oret , deside-  
ret , querat appositis mediis contem-  
plationem ? an silentio & taciturnitati  
studeat ? num à sæculo mundanisque  
negotiis se abstrahat ? num solitudi-  
nem pro sui status conditione amet ?  
an bene capiat duo hujus sapientiæ  
principia , nempe sui & mundi vili-  
pensionem ac Dei summam æstimatio-  
nem ?

3. Tertiò , an Christum studeat &  
Deum sibi per actum fidei proponere ,  
ut intimè præsentem , ut Bonum infi-  
nitum tam *omnonymum* , quam *anony-  
mum* ? an contentus sit tali obscurâ &  
simplici notitiâ , vel inquietus redda-  
tur ? an non DEum corporeis velur  
lineamentis sibi effingat , sed ut purum  
spiritum animo proponat ? Errant , qui  
clariorum divinæ præsentiarum notitiam &  
experientiam aut nisu corporis vellu-  
minis naturalis speculatione , & non  
potius

Art.  
potius luminis  
divina implora-  
tur.

4. Quartò  
nitioni relin-  
di affectione ?  
concupiscentiæ  
mysticus & pe-  
nitentiam & impe-  
tus debet omni-  
morivum aman-  
bet esse soles

5. Quintò  
studeat , quod-  
ida & possit v-  
igilatum cogi-  
tatio , quam  
item an conte-  
ret Deus nulli  
oratione quietis  
terminat vel  
sem affectionis  
actibus fidei ?

6. Sexto  
pirationibus ?  
quo effectu ea  
ercentis fatig-  
tione & impa-  
tis ? utrum d-  
vatorem , &  
cum ? ad ex-

potius luminis fidei intensione & gratiae divinæ imploratione obtinere conantur.

4. Quartò, an studeat, ut cognitioni respondeat congrua amoris puri affectione? dico puri. Amor enim concupiscentiæ nequaquam est amor mysticus & perfectorum, sed incipientium & imperfectorum. Procul hic esse debet omnis amor proprius, & motivum amandi solum & unicum debet esse solus & unicus Deus

5. Quintò, an speret, sibiique persuadeat, quod in contemplatione insipida & possit vigere & æquè aut magis vigeat tum cognitio tum & maximè dilectio, quam in sapida & deliciosa? Item an contentus sit & quietus, licet Deus nullum prorsus gustum sub oratione quietis conferat? an non prætermittat vel abbreviet contemplationem affectionis, si nullum saporem in actibus fidei & charitatis experiatur?

6. Sextò qualiter se habeat in aspirationibus? quoties? quo affectu? quo effectu eas adhibeat? an in eis exercendis fatigetur? an utatur contentione & impulsione cordis aut corporis? utrum dirigat ad Christum Salvatorem, & Deum ut intimè præsensem? an ex puro amore benevolentiae

L pro-

242 Diff. V. De Contemplatione erronea.

proficiscantur ? num ad istum finem  
Scripturæ sententias in memoria te-  
neat & discat ? & quas ?

7. Septimō qualiter procedat &  
succedat contemplatio affectionis ? an  
possit per medium horam vel horam  
durare in solis affectibus fidei, spei &  
charitatis , & aliis virtutibus ab hac  
expressè imperatis ? an in eorum ex-  
ercitio nec nimis sit aetuosus nec ni-  
mis otiosus ? an eisdem affectibus sem-  
per utatur , an diversis ? quoties &  
quando ad meditationem redeat ? an  
meditatio ipsi dura accidat vel facilis ?  
an sub contemplatione motibus divini-  
nis pareat ? an voluntati divinae se ac-  
commodeat , qualitercunque succedat  
contemplatio ? nam pro certo tenen-  
dum est , quod præcipuum medium,  
imò & exercitium Theologiæ mysti-  
cae ponatur in studio devotæ oratio-  
nis. Unde S. Nilus in Tractatu, qui  
inscribitur *Capita de oratione*, cap. 57.  
breviter & sapienter edixit : *Si es Theo-  
logus , nempe mysticus , verè orabis : &  
si eris Theologus , & verè orabis , Theo-  
gus verè eris.* Oratio ergo & facit  
Theogum mysticum , & supponit.  
Facit, quia elevat ad contemplationem;  
supponit , quia nullus perfectè orat ,  
nisi Theologus mysticus. Addit ibi-  
dem

dem tribus sequentibus capitibus tres notandas sententias, quas hic præbeo considerandas. Cùm mens, inquit, tua multo Dei desiderio paulatim se à carne subducit, omnésque ex sensu aut memoria aut corporis temperatione ortas cogitationes repudiat, tunc te existima appropinquasse terminis orationis. Spiritus sanctus dolens nobiscum infirmitatem nostram etiam ad nos impuros venit: qui, si mentem solam studiosè orantem reperiat, ascendit in eam, & totam multitudinem cogitationum, aut motionum, qua mentem circumdant, deler, hortans eam ad amorem spiritualis orationis. Ceteri per immutationem corporis efficiunt in mente cogitationes aut notiones aut contemplationes: contrà verò DEus per seipsum in mentem ascendens cognitionem eorum, que vult, in illa ponit: & per mentem inaequalitatem corporis temperat ac lenit. Et cap. 81. Si nondum acceperisti charisma orationis aut Psalmodie, insiste & accipies.

8. Octavò qualem se habeat in vita agente & operibus externis? an sub iis collectionem spiritus perdat vel conservet? an in medio mundi & turbarum possit spiritum elevare, DEum præsentem considerare & amare? an ex quibuslibet visis, auditis vel alijs sensu perceptis consurgat ad Deum & di-

## 244 Diff. V. De Contemplatione erronea.

vina? an novis rumoribus & eventibus  
cum bonis, cum malis, cum luctis, cum  
afflictis non turbetur, & de apice men-  
tis dejiciatur? verbo: an sub actione  
possit exercere contemplationem? per-  
fectos enim contemplatores non im-  
pedit actio vel operatio externa. Un-  
de sapienter aureus libellus de Imitatio-  
ne lib. 2. c. 1. *Qui ab intra scit ambu-  
lare, & modicum ab extra res ponderare,  
non requirit loca, nec exspectat tempora  
ad habenda devota exercitia.* Omni lo-  
co, omni tempore infistere potest de-  
votioni, contemplationi & dilectioni.  
Si autem contingat evagatio; Homo in-  
ternus citè se recolligit: quia nunquam se  
totum ad exteriora effundit. Et subdit:  
non illi obest labor exterior, aut occupatio  
ad tempus necessaria, quò minus con-  
templationi se dedat vel interrumpat;  
sed sicut res eveniunt, sic se illis accom-  
modat in spiritu pace & tranquillitate.  
*Qui intus bene dispositus est, & ordinatus,  
non curat mirabiles & perversos hominum  
gestus dicta & facta.* Tantum homo im-  
peditur & distrahitur, quantum sibi res  
attrahit. Si rectè tibi esset, & bene pur-  
gatus es, omnia tibi in bonum cederent  
& prosectorum. Ideò multa tibi displacebant  
& sapè conturbant; quia adhuc non es  
perfectè tibi ipsi mortuus, nec segregatus  
ab om-

ab omniis tu-  
implicat cor h-  
is creaturis.  
poteris specula-  
bilare interioris  
ra sunt, & ta-  
condito abu-  
9. Pro  
stor & protec-  
tiōnē, mem-  
brō & apice  
ūtīcīs judicī-  
tus emendare  
rem non suffi-  
cienti, excise  
delicata est,  
bus nota, ob-  
terūm faxit  
mus, ut levi-  
cedat ad eju-  
larem. Om-  
scīpsi, eo fi-

Ut in

S. B.

ab omnibus terrenis. Nil sic maculat, & implicat cor hominis, sicut impurus amor in creaturis. Si renuis consolari exterius, poteris speculari cœlestia, & frequenter jubilare interius. Verba hæc significata clara sunt, & tamen sensu mystico & recondito abundant.

9. Pro coronide hic ex animo testor & protestor, quod singulas periodos, membra, incisa, verba, & litteras, imò & apices, Ecclesiæ & sumi Pontificis judicio submissos velim, paratus emendare, si quid forte mihi aut rem non sufficienter expendenti aut nescienti, excidisset. Materia enim hæc delicata est, lubrica, salebrosa, casibus nota, obnoxia, & infamis. Cæterum faxit DEus ter optimus maximus, ut levis & præproperushic labor cedat ad ejus gloriam & plurium salutem. Omnia enim quæ hic dixi & scripsi, eo fine dicta & scripta sunt,

*Ut in omnibus glorificetur  
DEUS.*

S. Benedictus c. 57. Reg.

2336


2337











## TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue

## TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007



